This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

IF
233.2
.B83

38
M 14
B

38 70

938
M 14
D

De Finibus regni Macedonici, de Imperio Macedonico et de Macedoniae Sociis inter annos 359 et 221 a. C. n.

J. BREEN.

DE FINIBUS REGNI MACEDONICI, DE IMPERIO MACEDONICO

ET DE

MACEDONIAE SOCIIS INTER ANNOS 359-221 A. C. N.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

De Finibus Regni Macedonici, de Imperio Macedonico

ET DE

Macedoniae Sociis inter annos 359-221 a. C. n.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D. JOSEPHUS JITTA,

jur. doct. et in Facultate jur. Prof. ord.

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET

LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI

SUBMITTET

JACOBUS BREEN,

NATUS IN OPPIDO GOEDEREEDE,

DIE XI MENSIS JUNII ANN. MDCCCCI, HORA III, IN AULA ACADEMICA.

AMSTELODAMI

APUD J. H. EN G. VAN HETEREN.

MDCCCCI.

Conscripto libello unum officium mihi pergratum superest. Ex animi sententia grates ago habeoque vobis Clarissimi Viri Literariae Facultatis Professores, qui per tot annorum spatium numquam mihi defuistis, imprimis autem tibi promotor aestumatissime, clarissime VALETON, *propter auxilium latum in componendo opusculo meo, propter patientiam qua usus es, propter benevolentiam quam mihi praestare numquam desiisti.*

Neque minus decet me hoc loco tui mentionem facere doctissime DE DOMPIERRE DE CHAUFEPIÉ, *qui summa cum comitate thesauros custodiae tuae commissos mihi reclusisti, qui ubicumque potuisti consilio tuo me adjuvisti.*

Vos omnes in posterum grata memoria mihi colendi eritis.

142599

INDEX.

CAPUT I.

De Macedonia usque ad Philippi Secundi mortem.

Pag.

§ 1 De finibus regni Macedonici ante annum 359 1
§ 2. Philippus et Illyria 6
§ 3. Macedonia et Epirus 10
§ 4. Res Thessaliae, bella a Philippo in Thessalia gesta 13
§ 5. De Insulis 17
§ 6. De Coloniis Graecis in Macedonia sitis: Chalcidice; de urbibus in oris maritimis Thraciae 17
§ 7. De bellis a Philippo in Thracia gestis. 25
§ 8. De Paeonia, Dardanis, Triballis, Scythis 31
§ 9. Ambracia, Acarnania 35
§ 10. Res Graeciae, de Synedrio Corinthiaco 36
§ 11 De rebus politicis et de statu Macedoniae; rustici, vectigalia nobilitas. De ratione quae intercedebat inter regem et subjectos; de urbibus 46
§ 12. De imperio Macedonico a Philippo in Europa aucto . . . 57

CAPUT II

De Imperio ab Alexandro constituto et de Perdicca gubernatore imperii ad annum 321.

§ 1. De Imperio ab Alexandro in Europa confirmato 59
§ 2. De Imperio in Asia et de juribus regis 62
§ 3. De Magistratibus. De Satrapis. De coloniis Graecis in Asia. De praediis et possessionibus regis. De thesauris. . . . 65
§ 4. De rebus anno 323 Babylone constitutis. De Imperio Macedonico sub Perdicca. India et Aegyptus. Bellum contra Perdiccam gestum 82

Pag.

§ 5. De finibus Imperii Macedonici in Europa quod anno 323 Antipatro commissum est; de Lysimachi regno 99
§ 6. De bello Lamico et de Societate Hellenica; de bello Aetolico. 102
Appendix: De tempore quo Demosthenes Athenas redierit . 112

CAPUT III.

De Imperio Macedonico et de Macedonia inter annos 321—316.

§ 1. De rebus Triparadisi constitutis. Imperium Macedonicum sub Antipatro et Polysperchonte. Anno 316 imperium dissolutum est. Antigonus et Demetrius 115
§ 2. De bellis gestis inter Polysperchontem et Cassandrum (319—316). Libertas Graeciae. 124

CAPUT IV.

De regno Cassandri (316—297).

§ 1. De finibus regni Macedonici; de urbibus a Cassandro conditis. 134
§ 2. De Thebis restitutis 136
§ 3. De bellis a Cassandro gestis (315—311) 140
§ 4. De bellis inde ab anno 311—297. Regium Nomen 147

CAPUT V.

De Macedonia post Cassandri regnum.

§ 1. Macedonia inter annos 297—281 155
§ 2. De Gallorum invasionibus 160
§ 3. Macedonia usque ad 221. Societas ab Antigono Dosonte cum Graecis inita. 173

THESES 187

CAPUT I.

De Macedonia usque ad Philippi Secundi mortem.

§ 1. De finibus regni Macedonici ante annum 359.

Jam antiquis temporibus Macedonia et nomine et imperio regio in unius regni formam redacta erat; revera tamen longe aberat ut regiones, quibus id regnum contineretur ita coaluissent, ut verae huic regno vires essent ejusmodi, quales postea fuerunt sub Philippo et Alexandro regibus. Juxta regem enim complures reguli erant, praecipue in regionibus superioribus, saepe ipsi regia stirpe orti, qui partes regni jure hereditario possiderent; regnantes regis auspiciis quidem, sed tamen ipsi quoque praediti imperio militari, et jure exercitus cogendi et alendi; tam potentes ut occasione data bellis intestinis regnum vexare, vel prorsus in tempus abolere possent [1]).

Quaenam illae regiones fuerint, temporibus belli Peloponnesiaci ad Macedoniam pertinentes, Thucydides 2. 99. nobis tradidit in accurata descriptione regni Perdiccae secundi, quale fuit anno 429; is ibi imprimis distinguit inter Macedoniam Inferiorem sive Maritimam, et regiones Superioris Macedoniae.

Initium cum fiat a Meridie, primum Pieria nominatur

---

[1]) Thuc. 1. 57. 3; 59; 2. 99; 100; 4. 79. 2; 83; 124; Droys. 1. 1. 72.

tamquam regio Macedoniae Inferioris, deinde magis Septentrionem versus Bottiaea; tum, secundum Axium flumen sese porrigit, ad Pellam et mare usque, angusta regio a gente quadam Paeonica habitata, cui Amphaxitis nomen fuit [1]). Orientem versus ad Strymonem flumen usque Mygdonia sese extendit, in parte meridionali complectens regiones circa Bolben lacum sitas. Eordaea tum a Thucydide nominata ab Occidente Bottiaeae porrigitur usque ad Edessam oppidum fere [2]). Almopia, Septentrionem versus confinis est Pelagoniae et Paeoniae. Postremo loco nominantur Anthemus, Crestonia [3]), Bisaltia [4]) supra Chalcidicen sitae et regiones ipsorum Macedonum inter Axium et Strymonem flumina, Mygdoniae finitimae, complectentes reliquos agros usque ad Chalcidicen paeninsulam. Ipsa Chalcidice, geographice Thraciae adjudicanda [5]), conspersa fuit coloniis Graecorum maxime florentibus.

His praecedunt apud Thucydidem gentes Macedoniae Superioris, Lyncestae Elimiotae aliaeque, subjectae quidem et adjunctae Macedoniae, tamen regna singula separatim habentes. Lyncestae autem habitant regiones ab Occidente Eordaeae, ubi postea condita est urbs Heraclea Lyncestis, circa Barnum montem usque ad Pylonem vicum in terminis Lyncestidis situm, lacum Lychnitidem versus, a quo segregantur jugo montium. Nomen autem antiquum hujus jugi aetatem non tulit, Byzantini eum Pyrenaeum montem appellant [6]). Elimiotis secundo loco nominata, invenitur in parte

---

1) Strabo 329. fr. 11. *Παίονες δὲ τὰ περὶ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν καὶ τὴν καλουμένην διὰ τοῦτο Ἀμφαξῖτιν.*

2) Strabo 323. Plinius 4. 17.

3) Herod. 7. 124. *Ἐχείδωρον ὃς ἐκ Κρηστωναίων ἀρξάμενος ῥέει διὰ Μυγδονίης χώρης.*; 127.

4) Strabo 331. fr. 36; 329. 11.

5) Strabo 329. fr. 11. *ὠνομάζοντο δ'οἱ ἐπὶ Θρᾴκης Χαλκιδεῖς.*

6) Strabo 323 et 326. Polyb. 34. 12. 5. *Πυλῶνος τόπου ὁρίζοντος ἐν τῇ ὁδῷ τήν τε Ἰλλυρίδα καὶ τὴν Μακεδονίαν.* cf. Margaritus Demitsas *Ἀρχαία γεωγραφία τῆς Μακεδονίας.* Athenis 1870. I pag. 4. et II. 151. De Pyrenaeo monte cf. Demits. I 30 sqq.

Meridionali Macedoniae Superioris ad ripas Haliacmonis fluminis [1]).

Juxta eas gentes autem Thucydides etiam de aliis loquitur nec tamen eas nominat. Quaestio inde oritur ad quasnam alias spectaverit. Situs montium ab hac parte nobis indicat cogitari tantum posse de Pelagonibus et de Orestis. Pelagonia autem, quae pertinet a Septentrione Lyncestidis ad Scardum montem usque, quae munimenti instar est contra feras gentes illic sedes habentes, hoc tempore fortasse subjecta Lyncestis finitimis, profecto Macedoniae Superiori adjudicanda est, ut facit Strabo ubicumque hanc regionem commemorat [2]). Ceterum perpauca antiqui scriptores de hac regione nobis tradiderunt [3]).

Orestis contra, quae inter Lyncestidem et Elimeam sita est, ab Oriente ejusdem jugi quod pertinet a Scardo monte Meridiem versus, discernitque eas gentes, quae geographico sensu ad Macedoniam pertinent a gentibus Illyricis et Epiroticis, magis aperta est, neque tam natura munita atque finitimi, cum insuper fauces Eordaici fluminis facilem aditum a parte Illyriae praebeant. Strabo anceps haerere videtur quibusnam gentibus Orestas adnumeret, Epiroticis an Macedonicis. Eodem loco enim initio paragraphi 326 Orestas Epirotas nominat, cum in fine ejusdem paragraphi eos ad Macedoniam pertinere perhibeat. Paragrapho 434 quoque eos Macedones appellat [4]). Quae repugnantia mea quidem sententia hoc modo explicanda est, quod loci supra memorati spectant ad diversa tempora. Orestae enim temporibus belli Peloponnesiaci ad gentes Epiroticas pertinuerunt ut Thucydides 2. 80 commemorat. Nam cum hic enumeret gentes Epiri quae anno 429 conjunctae cum Lacedaemoniis expedi-

---

1) Arrian. Anab. 1. 7. 5. Strabo 326 et 434. Liv. 42. 53. 5.

2) Strabo 326 et 434.

3) Polyb. 28. 8. 3. Strabo 327 et 329. 10. Demits. II. 155 sqq.

4) Strabo 326. *Ἠπειρῶται δ'εἰσί ... καὶ Ὀρέσται.* et i. f. *καὶ δὴ καὶ τὰ περὶ Αὔγκον καὶ Πελαγονίαν καὶ Ὀρεστιάδα καὶ Ἐλίμειαν τὴν ἄνω Μακεδονίαν ἐκάλουν.*

tionem in Acarnaniam sociam Atheniensium facturae essent, Orestas quoque cum rege eorum inter eas nominat, cum Perdiccas Macedoniae rex, socius Atheniensium, quibus quodammodo obnoxius erat [1]), coactus esset occulte mittere auxilia. Quodsi Orestae aliquo modo cum Macedonia conjuncti fuissent, cujus rex Perdiccas coactus fuit clam mittere auxilia, facile perspicitur nullo modo hujus subjectos et socios [2]) aperte opitulari potuisse, et si fecissent, Thucydidem, accuratissimum rerum scriptorem, hoc nobis traditurum fuisse. Sed sub Philippo Secundo, cum Macedonia crescere coepit, jam statim Orestis in dicionem ejus redacta est, inde ab hoc tempore, ut postea apparebit, Macedonica fit, neque amplius gentibus Epiroticis adnumeranda est [3]). Hae sunt gentes quibus secundum Thucydidem rex Macedoniae anno 429 dominabatur.

Terminus autem ad Ortum solis est Strymon flumen, quod inde ab ora maritima usque ad eas regiones ubi postea Heraclea Sintica condita est, Macedoniam a Thracia disterminat, cum Bisaltorum agri eo usque porrigerentur [4]). Tum terminus septentrionalis sese extendit secundum Pontum fluvium (Strumnitsa hodie) [5]) a meridie ejus regionis quae Doberus vocatur [6]) usque ad fauces Axii fluminis [7]): Vallis Ponti fluvii per omnia tempora optimum aditum barbaris Thracibus dabat in agros ad Axium sitos. [8]).

---

1) Thuc. 2. 29. 7. Demosth. 79. 20. ἐφ'ἡμῖν· γὰρ ἦν ἡ Μακεδονία καὶ φόρους ἡμῖν ἔφερε cf. 156. 18. Abel. Makedonien p. 170.

2) Thuc. 2. 99.

3) cf. Kuhn. Ueber die Entstehung d. Städte d. Alten p. 144.

4) Strabo 329 fr. 11; 331. fr. 36. Diod. 31. 8. 7. πρὸς δυσμὰς δὲ τοῦ Στρυμόνος Βισαλτία πᾶσα μετὰ τῆς ἐν τῇ Σιντικῇ Ἡρακλείας. Liv. 45. 29. 6. Kuhn, p. 315.

5) Demitsas II. 502. ibid. I. 4.

6) Thuc. 2. 98. 2; Demitsas II. 198.

7) Strabo 331. 36. ἡ Παρορβηλία ἐν μεσογαίᾳ ἔχουσα κατὰ τὸν αὐλῶνα τὸν ἀπὸ Εἰδομένης Καλλίπολιν Ὀρθόπολιν, Φιλιππούπολιν Γαρησκόν.

8) Thuc. 2. 99. 1; 2. 100. 3; Polyb. 10. 41. 4. Liv. 26. 25. 7.

Meliorem in modum angustiae Axii fluminis barbaros arcebant a parte septentrionali Macedoniae, eodem modo quo Pelagonia Septentrionem versus Scardo monte muniebatur [1]).

Uno tenore inde a Scardo monte meridiem versus, porrigitur altum jugum ab oriente lacus Lychnitidis, in quo jugo quod a sequioribus Pyrenaeus vocatur, situs est Pylon vicus. (cf. supra pag. 2). Uno tantum loco hoc jugum interrumpitur, nempe faucibus Eordaici fluminis, quae aditum dant in Orestidem, adhuc Epiroticam, inde ab his faucibus autem idem illud jugum disterminans Orestidem et Tymphaeam, universo nomine Bojus mons appellatur [2]).

Meridiem versus Macedonia a Thessalia disterminatur jugo montium quod a Pindo originem habet [3]) Cambunio nomine, ab altera parte autem hoc jugum cum Olympo jam mari propinquo conjungitur Titario monte [4]).

Hoc modo pervenimus ad oras maritimas Macedoniae cinctas corona urbium a Graecis conditarum, quae, quoniam majore pro parte sui juris erant, regibus Macedoniae impedimento fuerunt, quominus omnes terras ad mare usque regno suo adjungerent. Praecipuae harum urbium omissis reliquis fuerunt Pydna, Methone, nondum in agros a mari remotiores translata, et Therma.

Pydna autem verosimiliter ab Eretriensibus condita, [5]) jam anno 473 sub Alexandro Philhellene Macedonica fuit [6]) neque ante Perdiccae mortem sese in libertatem vindicare potuit, quam ob rem hanc urbem anno 429 Macedoniae adnumeremus oportet [7]).

---

1) Strabo 329. 4. *δι' ὧν ὁ Ἀξιὸς ῥέων δυσείσβολον ποιεῖ τὴν Μακεδονίαν ἐκ τῆς Παιονίας.* Strabo l.l. fr. 10. Polyb. 28. 8. 3. Liv. 44. 31. 5.

2) Strabo 329 fr. 6. *ἑνὶ μὲν δὴ κοινῷ ὀνόματι καλεῖται Βοῖον τὸ ὄρος.*

3) Strabo 434. 12.

4) Strabo 329. 14. *ἀπὸ τοῦ Τιταρίου ὄρους συμφυοῦς τῷ Ὀλύμπῳ ὃ κἀντεῦθεν ἄρχεται διορίζειν τὴν Μακεδονίαν ἀπὸ τῆς Θετταλίας.*

5) Abel 160.

6) Thuc. 1. 137. 1.

7) Abel. 195.

Longe maximi momenti fuit Methone urbs, eodem modo quo Pydna, ab Eretriensibus condita, minime confundenda cum Methone in Thracia [1]). Haec urbs per omnia bella libertatem suam vindicavit, Graeca et sui juris mansit [2]). De Therma alia res fuit. Haec quoque urbs anno 432 Macedonica fuit, sed eodem anno quo Pydna frustra obsessa est ab Atheniensibus, ab iisdem capta est, pactione facta inter Perdiccam et Athenienses, in horum potestate mansit [3]). Hic fere nucleus est e quo sub Philippo et Alexandro regibus magnum imperium Macedonicum ortum est.

Tempora autem quae sequuntur regnum Perdiccae conspicua sunt turbis intestinis, bellis inter regulos diversarum regionum ipsius regni, invasionibus barbarorum finitimorum. Archelaus (413—399) quidem omnem operam dedit ut regnum suum firmaret [4]), statim post mortem ejus Macedonia rursus vexata est suetis calamitatibus, quibus neque Amyntas III (390—369) neque quisquam successorum ejus finem imponere potuit, donec tandem Philippus II Amyntae filius rerum potitus est.

---

§ 2. Philippus et Illyria.

Cum Philippus regnum iniit, tota Macedonia ad perniciem usque conturbata fuit turbis intestinis et bellis regulorum, cum eodem tempore Illyrii haud contemnendam partem regni occupatam et sibi subjectam haberent [5]), Paeones agros sibi finitimos omnibus modis vexarent [6]). Non solum Lyncestidem Illyrii occupatione tenebant, etiam pars Macedoniae Inferioris iis subjecta erat. Diodorus enim loquitur de

---

1) Strabo 436. Abel 159.
2) Thuc. 6. 7. 3.
3) Thuc. 1. 61. 2, Abel 175.
4) Thuc. 2. 100.
5) Diod. 16. 1. 3. et 2. 2.
6) Diod. 16. 4. cf. Arrian. 7. 9. 2.

urbibus ab iis occupatis, pace facta Philippo redditis, quae urbes necessario sitae erant in Macedonia Inferiore, cum Lyncestae illis temporibus adhuc κατὰ κώμας habitarent [1]). Sed antequam illos hostes externos aggrederetur, res internas firmaret necesse fuit. Ante omnia alia regni competitorum vires fregit, Athenienses sibi conciliavit iis concedendo Amphipolin, [2]) pollicitationibus Paeones eo duxit ut in praesens pacem secum agerent [3]). His rebus perfectis peropportune moritur Paeonum rex Agis, cui successit Lycceus [4]), quem Philippus statim jam anno 358 aggressus est, coegitque agnoscere principatum Macedoniae [5]).

Eadem fortuna usus est contra Illyrios et eorem regem Bardylin, quos eodem anno aggressus est, e finibus Macedoniae rejecit fugavitque usque ad lacum Lychnitidem [6]). Ipse Bardylis acie caesus est, filius ejus Clitus verosimiliter ei successit [7]). His rebus feliciter peractis Philippo copia fuit firmandi regnum suum, urbibus condendis, castellis muniendis [8]). Inter ceteras urbes tunc temporis a Philippo conditas, praecipua habenda est Heraclea Lyncestis [9]), qua et ipsos Lyncestas tantum non semper regi Macedonum infestissimos cohiberet [10]) simulque munimento contra Illyrios uteretur. Argumenta quae Demitsas affert, neminem ante Polybium et Strabonem hujus urbis mentionem fecisse, temporibusque belli Peloponnesiaci Lyncestas κατὰ κώμας habitasse itaque urbem illam posthac conditam esse, eamque a Philippo initio regni ejus, mihi valde arrident, praesertim cum sciamus cultum Herculis illis temporibus maxime floruisse

---

1) Diod. 16. 4. 7. Thuc. 4. 124. 4. Strabo 337. Kuhn p. 17 et 188 sqq.
2) Diod. 16. 4. 1.
3) Diod. 16. 3. 4.
4) Dittenberger Sylloge 114. (ed. secunda.)
5) Diod. 16. 4. 2. ἠνάγκασε τὸ ἔθνος πειθαρχεῖν τοῖς Μακεδόσι.
6) Diod. 16. 4. 3. sqq. 8. 1; Schaefer Demosthenes. 2. 20.
7) Arrian. 1. 5. 1.
8) Demosth. 54. 6. οἱ δ'ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις τειχίζειν.
9) cf. Steph. Byz. Ἡρακλεία. Schaefer 2. 344 ann. 3.
10) Demitsas II. 105.

in Macedonia, unde nomen derivandum est, alteramque Heracleam, nempe Sinticam, iisdem temporibus attribuendam esse [1]).

Consentaneum est suspicari Philippum eodem modo jam tum fines suos firmasse a meridie lacus Lychnitidis, gentesque meridionales Illyriae, Epiro confines, quodammodo sibi obnoxias reddidisse. Orestis enim, quae regio anno 359 adhuc sui juris erat [2]) in fine vero regni Philippi Macedonica fuit (Diodorus 16. 93. 3 enim tradit Pausaniam Philippi percussorem Macedonem fuisse ex Orestide) jam nunc regno adjuncta sit necesse est. Nam neque expeditio Parmenionis anni 356 contra Illyrios septentrionales [3]) neque magis bellum anno 355 ab Illyriis, Paeonibus, et Thracibus Macedoniae confinibus [4]) Atheniensibus societate conjunctis [5]) contra Philippum susceptum [6]), quamvis feliciter a Macedonibus gestum [7]), ullius momenti esse potuit ad augendum regnum Meridiem versus.

Patet enim ex inscriptione supra citata regem Illyriorum hoc in bello fuisse Grabum, cujus regnum necessario Septentrionem versus situm erat, cum jam nunc Clitus Bardylis filius [8]) post patris mortem parti meridionali Illyriae imperaret, neque huic bello interesset.

Et tamen apparet Orestidem ante expeditionem anni 345 in Illyrios et gentes Septentrionis subjectam esse. Ante hunc annum enim omnes gentes Illyriae, exceptis iis quae ad mare Hadriaticum sedes habebant, pars foedus iniere cum Macedonia, pars vel ipsi regno adjunctae erant [9]), ut apparet ex

---

1) Kuhn. p. 315 et 316.
2) Kuhn, 144 et 146.
3) Plut. Alex. 3. cf. Schaefer Demosth. 2. 25.
4) Dittenb. 114. ann. 2.
5) Ibid.
6) Diod. 16. 22. 3.
7) Demosth. 15. 25.
8) Arrian. 1. 5. 1.
9) Isocr. Phil. 21. p. 86. *τοῦ δ' Ἰλλυριῶν πλήθους πλὴν τῶν παρὰ τὸν Ἀδρίαν οἰκούντων ἐγκρατὴς καὶ κύριος γέγονεν.* Diod. 16. 69. 7. Schaef. 2. 345.

loco Isocratis citato ad annum 346 pertinente, cum sequenti anno Philippus gentes meridionales Illyriae ad mare Hadriaticum usque nova expeditione sibi subjecerit [1]).

Quae cum ita sint, facile suspicari licet Orestidem jam antea, idque anno 358 subjectam esse, cum Philippus, antequam gentes remotioribus in locis sedes habentes aggrederetur, necessario finitimos sub suam potestatem redegerit, quod nulla alia expeditione fieri potuit nisi anni 358.

Alia res quoque inde sequitur. Ut in Lyncestide Philippus Heracleam condidit, ita in Meridie quoque auctoritatem suam firmaverit necesse est, muniendis oppidis et castellis. Etiam suspicari licet Philippum ea loca sibi elegisse quae idonea essent non tantum ad ipsos Orestas cohibendos, sed etiam ad hostes externos arcendos. Aditus praecipuus, immo unicus, ab hac parte fuit saltus Eordaici fluminis. Ante omnia alia igitur hae fauces occupandae muniendaeque erant, ut illic se sustineret contra barbaros si Macedoniam invadere in animo haberent. His in locis autem Pelium oppidum opportunissime situm invenimus [2]).

Etiam compertum habemus hunc locum initio regni Alexandri in manibus Macedonum fuisse, nam tum demum a Clito Illyriorum rege, qui bellum gessit contra Alexandrum, occupatus est [3]). Cum autem nullum aliud bellum ab hac parte gestum nobis traditum sit nisi bellum anni 358 (cf. supra p. 7) statuamus necesse est, eodem tempore quo Orestis regno Philippi adjuncta est, Pelium quoque ab eo occupatum esse.

Ex superioribus patet Philippi auctoritatem sub finem vitae ad mare Hadriaticum usque valuisse, pars meridionalis Illyriae ipsi regno adjuncta erat ut vulgo suspicantur [4]),

---

1) Polyb. 1. 2. 4. Liv. 45. 9. cf. Schaef. 3. 64 ann. 2.

2) Arrian 1. 5. 5. Liv. 31. 40. 5. Droys. 1. 1. 128.

3) Arrian l.l. *ταυτὴν γὰρ κατειλήφει ὁ Κλεῖτος ὡς ὀχυρωτάτην τῆς χώρας.*

4) Schaef. 3. 64. Isocr. Phil. 21. p. 86.

reliquae gentes Illyricae ad Scodram oppidum usque principatum ejus agnoverunt [1]).

Quemadmodum autem illae gentes Philippo conjunctae fuerint haud facile dirimi potest. E rebus gestis initio regni Alexandri patet quidem nonullas gentes, easque ab Occidente Macedoniae mare versus sedes habentes sub suis regibus foedere conjunctas fuisse cum Macedonia, Arrianus 1. 5. 1. enim loquitur de defectione Cliti regis cui Glaucias Taulantinorem rex opitulatus est, nec tamen traditum est num contributiones tulerint, quo usque Philippo subjectae fuerint. Hoc tantum scimus eos nullos milites misisse in expeditionem Alexandri [2]), e qua re concludere licet foedus cum Macedonia initum haud iniquum victis fuisse.

---

§ 3. Macedonia et Epirus.

Matrimonium anno 357 a Philippo initum cum Olympiade, Neoptolemi Molossorum regis filia, quae cum fratre Alexandro sub tutela fratris paterni Arybbae, parti regni praefecta erat, nimirum regi Macedoniae occasionem dedit augendi auctoritatem suam in Epiro, fortasse totam regni partem quae Neoptolemi liberis obvenerat ad se traxit [3]). Nam simul cum Olympiade etiam frater ejus Alexander in Macedoniam transiit ibique usque ad vicesimum annum in aula regia vitam egit [4]) quae res profecto varia emolumenta Philippo attulerit, Arybbae autem detrimento fuerit.

Jam anno 352 bellum inter Epirotam et Philippum exarsit [5]), quod bellum in eundem annum cadit, quo res Thessa-

---

1) Mommsen R. G. 2. 41.

2) Droys. 1. 1. 132.

3) Droys. 1. 1. 95. Satyr. fr. 5. *προσεκτήσατο δὲ καὶ τὴν Μολόττων βασιλείαν γήμας Ὀλυμπιάδα.*

4) Justin 8. 6.

5) Demosth. 13. 6. Droys. 1. 1. 89 ann.

licae a Philippo sedatae sunt, postquam gravissimum bellum feliciter ad finem perduxit. Licetne suspicari cohaerere inter se haec bella, in regionibus finitimis eodem fere tempore, contra eundem hostem gesta? Sub Jasone Pherarum tyranno Alcetas Epiri rex Thessaliotae quodammodo subjectus erat [1]). Potestas tyrannorum Pherensium sane fracta erat a Thebanis anno 364, tamen post Alexandri tyranni mortem anno 359 haec denuo crescere coepit. Nobilitas et gentes Thessalicae Philippi auxilium invocaverunt contra tyrannos foedere junctos cum Phocensibus. Philippus iis auxilium tulit, sese in periculosissimum bellum involvit, tandem anno 352 victor evasit et res Thessaliae confirmavit. Deinde expeditione in Thraciam facta, Arrybbam Epirotam bello aggressus est. Jam supra vidimus Arybbae nullam causam fuisse cur amicitias cum Philippo gereret, quandoquidem Macedonis auctoritas in Epiro post hujus matrimonium, Arybbae detrimento crevit. Quid obstat quominus suspicemur Thessalicos tyrannos, aliquo modo redintegrato vinculo cum Epirota, qui nunc tamen iis non amplius obnoxius fuit ut antea, ab eo auxilium accepisse contra communem hostem? Philippumque sedatis rebus Thessalicis et Thracicis, ab Arybba poenas sumpsisse? Neque rem Arybbae optime evenisse suspicari ausim, qui tandem decem annis post, cum Alexander viginti annos natus esset, a Philippo regno pulsus est, verosimiliter Athenas se contulit, cum Alexander rex Epiri factus sit [2]). Neque modo Arybbae regnum a Philippo Alexandro datum est, regiones quoque ad mare usque pertinentes, tria oppida Cassopiae Epiro adjunguntur [3]).

Si rationem habemus de Philippi indole consentaneum est conjicere, eum non gratis uxoris fratrem tantis beneficiis

---

1) Xenoph. Hell. 6. 1. 7.

2) De Arybbae sorte cf. Justin 7. 6. 12; 8. 6. 7. Trogus Prol. 8. Dittenb. Syll. 138. Schaefer 2. 425 sqq. Droysen 1. 1. 89.

3) Demosth. 84. 21. ἐπὶ δ' Ἀμβρακίαν στρατεύεται, τὰς δ' ἐν Κασσωπίᾳ τρεῖς πόλεις, Πανδοσίαν καὶ Βούχεταν καὶ Ἐλάτειαν Ἠλείων ἀποικίας .... παρέδωκεν Ἀλεξάνδρῳ δουλεύειν.

affecisse. Quaenam autem commoda sibi hoc modo parare potuit? Initio regni Alexandri Magni variae regiones regno Macedonico adnumerabantur, quae antea non ad illud regnum, sed ad Epirum pertinuere. Arrianus enim in catalogo ducum navalium Magni Alexandri, non solum Craterum et Perdiccam ex Orestide oriundos ut Macedones commemorat, sed etiam Attalum Tymphaeum, iisque duces Graecos opponit [1]).

Praeterea constat Polysperchontem fuisse regem Aethicarum [2]), gentis non tanti momenti, Tymphaeae confinis, quae postea aut Thessaliae, aut Tymphaeae adjuncta est [3]), saltem non amplius suis legibus usa est [4]).

Insuper Paravaea Macedonica fuit [5]). Quae provincia autem sita erat a meridie Tymphaeae, ut patet ex locis Strabonis et Arriani [6]). Locus Strabonis autem neglectus esse videtur a v° d° Kuhn in argumentatione sua de situ Paravaeae [7]) qui locus imprimis confirmat situm regionis ut ab Arriano indicatus est.

His duobus locis nisi, contra opinionem viri docti Kuhn, qui nititur alio loco Strabonis p. 326, et vim infert ordini regionum ut ab Arriano commemorantur, quo Paravaeam in Septentrione Epiri ponat, statuendum est Paravaeam sitam fuisse a Meridie Tymphaeae.

Cum autem illae regiones Macedoniae adjunctae sint Epiri detrimento, in promptu est hoc factum esse aut anno 352 post bellum cum Arybba gestum, aut anno 342, cum Alexander Epiri rex constitutus est, provinciisque maritimis praefectus est. Si tamen hoc postremo anno Macedoniae adjunctae sunt, perspicuum est eas provincias Philippo

---

1) Arrian. Indica 18.

2) Tzetzes ad Lycophr. v. 802. Αἰθίκων βασιλεύς.

3) Strabo 327.

4) Strabo 430 καὶ ἡ τῶν Αἰθίκων ποτὲ λεγομένη.

5) Plut. Pyrrh. 6. Kuhn 144 et 146.

6) Strabo 325. ὁ Ἄρατθος ποταμὸς ... ἀρχόμενος ἐκ Τύμφης ὄρους καὶ τῆς Παρωραίας. Arrian 1. 7. 5.

7) Kuhn l.l.

concessas esse tamquam praemium liberalitatis ejus erga affinem suum. Etiam suspicandum est cum v° d° Droysen [1]), Alexandrum agnovisse Philippi principatum, quamquam nulla re patet, quemadmodum novus Epiri rex e Philippo pependerit [2]).

---

§ 4. Res Thessaliae, bella a Philippo in Thessalia gesta.

Quod attinet ad Thessaliam, jam supra diximus annum 352 maximi momenti fuisse Philippo. Nam pulsis tyrannis, statum Thessaliae Macedo hoc anno ita mutavit, ut posthac tota regio Macedoniae obnoxia habenda sit. Thessalorum tyranni enim, qui usque eo imperaverunt èt gentibus finitimis quae iis tributa ferebant, [3]), èt ipsis civibus suis, quorum auctoritas nulla fuit, nunc pulsi sunt [4]); patria instituta restituuntur [5]), Philippus ut vindex libertatis laudatur [6]), foedus cum eo ineunt Thessali, quo foedere tamen coacti sunt in posterum stipendia facere in Philippi exercitu [7]). Insuper Philippum donaverunt praecipuis reditibus suis usufructu vectigalium et portoriorum, Pagasas oppidum ei commiserunt [8]), cum ab altera parte rex Magnesiam muniret, specie quidem ut urbem seditiosam, quam Thessalis reddidit, arce et militibus Macedonicis cohiberet, revera tamen ut sic semet ipsum contra Thessalos confirmaret [9]). Etiam Perrhaebiam et Phthiotidem occupavit [10]),

---

1) Droys. 1. 1. 95.

2) Ibid.

3) Strabo 440. Gilbert Gr. Staatsalterth. 2. 6. ann. 2.

4) Diod. 16. 38. 1. Demosth. 22. 8. et 71. 11.

5) Gilbert 2. 10. ann. 2.

6) Demosth. 240. 10. Curtius Gr. G. 3. 439.

7) Aeschin. Parapr. 138.

8) Schol. Demosth. 15. 18. *οἱ Θετταλοὶ δεδώκασιν αὐτῷ νέμεσθαι Παγασὰς καὶ τὰ χρήματα τὰ ἐκ τῶν λιμένων καὶ τῆς ἀγορᾶς.* cf. Demosth. 15. 20; 71. 12.

9) Schol. ad. Dem. l.l.

10) Diod. 16. 31. 6. Strabo 437. 440. Niese 1. 31. cf. Percy Gardner. Catalogue of Greek Coins. Thessaly to Aetolia p. XXVI.

quae universae tributa Philippo ferebant [1]). Non mirum est Thessalos haec omnia jam brevi post vix tulisse [2]), statimque conatos esse ut urbes suas reciperent. Philippus a sua parte iis aliquantulum indulsisse videtur, finem saltem imposuit muniendo Magnesiam [3]), adeo ut denuo tyrannis occasio oblata sit, ut aliquantisper Pheris auctoritatem suam restituerent, donec anno 349 iterum a Philippo pulsi sunt [4]). Quantum apparet Thessali inde ab hoc anno usque ad 345 libertate quadam fruiti sunt, adeo ut factio politica Philippo adversaria iterum viribus cresceret [5]), donec illo anno Philippus post prosperam expeditionem in Illyrios (cf. pag. 8) eos in asperiorem servitutem redegit [6]). Hac occasione enim Philippus praesidia imposuit Pheris et reliquis urbibus Thessaliae [7]), iterum portoriorum et vectigalium usumfructum, paulisper ab eo neglectum ut videtur, ad se traxit, oligarchiae ubique instituuntur, decem tagi in singulis urbibus summis rebus praeficiuntur, unde derivandum est nomen decadarchiae [8]), per factiones oligarchicas Macedoniae amicas auctoritatem suam firmavit [9]).

Perinde gentes finitimae Dolopes et Aenianes, posthac socii fidissimi, hoc fere tempore societatem cum Macedonia inierunt [10]).

---

1) Droysen 1. 1. 108.
2) Demosth. 15. 17; 21. 12.
3) Demosth. 71. 12 et schol. ad h. l. schol. ad. 15. 18.
4) Diod. 16. 52. 9.
5) Schaefer 2. 281.
6) Diod. 16. 69 8. Trogus Prol. 8.
7) Demosth. 84. 19; 113. 21; 424. 21.
8) Demosth. 71. 13. Cauer Delectus Inscr. 395. 396.
9) Schol. ad. Dem. 21. 12. *εἰς δύο γὰρ μερίζει τοὺς Θετταλοὺς, εἰς ἀγνοοῦντας τὸν Φίλιππον, καὶ εἰδότας μὲν δεδιότας δέ.* Polyaen. 4. 2. 19. Polyb. 9. 28. 3. Freeman. History of federal Government 119 ann. 9. Thessaly, merely brought under an overwhelming Macedonian influence.
10) Diod. 16. 69. 8. Demosth. 246. 2. et 12. *Πότερον αὐτὴν* (Athenas) *ἐχρῆν . . . ἐν τῇ Θετταλῶν καὶ Δολόπων τάξει συγκατακτᾶσθαι Φιλίππῳ τὴν τῶν Ἑλλήνων ἀρχήν.* cf. Schaefer 2. 347.

Status Thessaliae idem mansit usque ad annum 342. Hoc anno rex primum occupavit urbes Nicaeam ad sinum Maliacum, quam urbem Philippus anno 346 Thessalis concesserat, et Echinum [1]), tum Thessaliam cum gentibus finitimis divisit in quatuor regiones quarum nomina fuerunt Thessaliotis, Phthiotis, Pelasgiotis, Hestiaeotis, [2]) perinde ac superioribus temporibus dividebatur [3]), quarum termini autem omnino constitui non possunt [4]). Nec tamen decadarchiae hac nova institutione abolitae sunt, duplicem in modum posthac Thessaliae res administrabantur, duplici modo Philippo inserviebant [5]). Singuli tetrarchae sive *στρατηγοὶ* ut in titulis publicis nominantur [6]) non tantum singulis provinciis praepositi sunt, etiam tagi posthac eorum auspiciis res administrabant, cum ab altera parte contiones plebis singularum urbium nihil edicere possent nisi tagorum auspiciis. Sic enim concludere velim ex inscriptione Crannoniana supra laudata [7]). Ceterum nisus Arriano 7. 9. 4. ubi locutio est de praefectis a rege in Thessalia constitutis, Demosthene 241. 27 ubi narratur tetrarchas a Philippo muneribus suis destitutos esse, et Polybio 4. 76. 2 ubi *βασιλικοὶ* in Thessalia commemorantur, contendere ausim praetores illos a rege provinciis suis praepositos quidem esse, tamen suis auspiciis omnia ad nutum et voluntatem regis administrasse. Quantum apparet tetrarchae illi cives Thessalici fuerunt [8]), et licet Philippus Thessalos socios suos nominet [9]), tamen juxta alia jura, etiam jus percutiendi nummos

---

1) Demosth. 120. 3 et schol. ad. h. l.

2) Harpocration *τετραρχία* cf. Strab. 430.

3) Kuhn 98.

4) Strabo 433. *Οὕτω δὲ συμβαίνει τοὺς ὅρους καὶ τὰς συντάξεις τῶν τε ἐθνῶν καὶ τῶν τόπων ἀλλάττεσθαι ἀεί.*

5) Demosth. 117. 26 *καὶ τετραρχίας κατέστησεν ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις ἀλλὰ καὶ κατ' ἔθνη δουλεύωσιν.*

6) Cauer 400.

7) Ibid. *(Στρατα)γέντος τοῦν Πε(λασγιουτάουν . ταγευόν)τουν . . . ἔδοξ)ε τοῦ κοινοῦ τᾶς πόλιος.*

8) Demosth. 241. 27. 324. 8.

9) Demosth. 159. 26.

autonomos perdiderunt, quod non ante annum 302 reciperaverunt [1]). Rectissime meo quidem judicio v. d. Niese 1. 39 explicat statum Thessaliae cum dicat: „die Thessaler, die „in einem besonderen, dem Untherthanenstande sich nähern„den Verhältnisse zu Philipp standen." Nomina autem nonullorum tetrarcharum, et testimonia aliquot, quae indicant Philippum illis magistratibus abusum esse, ut proposita sua exsequeretur, aetatem tulerunt. Apud Athenaeum enim 6. 249c locutio est de Thrasydaeo adulatore regis, tetrarcha Thessaliae; Demosthenes 241. 27 commemorat Eudicum et Simum [2]) ut proditores patriae, 324. 7. Daochum, Cineam et Thrasydaeum.

Status Thessaliae sub Alexandro rege non admodum mutatus est, initio regni hic in Thessalia quoque auctoritatem suam firmare, foedus redintegrare coactus est [3]), huic quoque Thessali tributa ferebant, Phthia excepta [4]), portoriorum usumfructum dederunt, milites praebuerunt, qui stipendia facerent non sub suis, sed sub Macedonicis ducibus [5]), cum ipse rex summae totius praeesset [6]). Gentes finitimae Dolopes, Aenianes, Malii, eorum exemplum secuti perinde ac Thessali foedus redintegrarunt, nihil his in regionibus Philippi morte mutatum est [7]). Neque sub Diadochis, ne temporibus Epigonorum quidem, Thessalia sese in libertatem vindicare potuit, vel ipse Philippus V, ut patet ex duabus inscriptionibus, non alio modo quam Philippus II auctoritatem suam exercuit, hic enim quoque jubebat Thessalos magistratus ea facere, quae sibi grata et utilia es-

---

1) Sboronos Hist. Num. I 365. (Ceterum de Thessalia cf. Oratores Attici II Didot Vita Demosth. p. 526. Diod. 16. 14. 2).

2) Extant nummi quibus Simi illius nomen inscriptum est. Percy Gardner. Thess. to Aet. catalogus p. 31.

3) Diod. 17. 4. 1. Plut. Al. 33.

4) Droys. 1. 1. 108.

5) Arrian. 1. 25. 1.; 3. 11. 10.

6) Justin 11. 3.

7) Diod. l.l.

sent[1]), Non ante annum 197 ratio quae intercedebat inter Macedones et Thessaliam mutata est[2]).

---

§ 5. De Insulis.

Post pugnam apud Chaeroneam anno 338, cum pax inter Philippum et Graecos facta est, aeque ac res Graeciae. res maritimae firmatae sunt. Athenienses enim retinuerunt majorem partem insularum quae antea iis obnoxiae erant, cum Philippo adjudicarentur insulae Sciathus, Peparethus, Icus aliaeque propter Magnesiam sitae, item ut Scyrus et Halonnesus[3]).

---

§ 6. De Coloniis Graecis in Macedonia sitis; Chalcidice; de urbibus in oris maritimis Thraciae.

Dum Philippus ab Occidente regnum suum firmabat, haud minus ab Oriente sole et in Meridie rebus interfuit. Quo ab hac quoque parte regnum amplificaret, sibi urbes et colonias Graecas illic sitas devinxit. Amphipolis quae aliquo modo sese hostilem in Philippum praebuit, prima urbs fuit quae in potestatem ejus pervenit, qua urbe capta iter in Thraciam ei apertum est[4]). (a° 357).

Antequam investigemus quinam fuerit status Amphipoli-

---

1) Polyb. 4. 76. 2. *Θετταλοὶ γὰρ ἐδόκουν μὲν κατὰ νόμους πολιτεύειν καὶ πολὺ διαφέρειν Μακεδόνων, διέφερον δ'οὐδέν, ἀλλὰ πᾶν ὁμοίως ἔπασχον Μακεδόσι καὶ πᾶν ἐποίουν τὸ προσταττόμενον τοῖς βασιλικοῖς* . Polyb. 18. 47(30). 6 et 7. Liv. 33. 34. Dittenb. 238 et 239.

2) Plut. Titus 10.

3) Strabo 436 et 437. Demosth. 77. 12. Orat. Att. II 526. vit. Dem. Droys. 1. 1 41; 2. 2. 24 ann. Schaefer Dem. 3. 28.

4) Liv. 45. 30. „Amphipolis, quae objecta claudit omnes ab Oriente sole in Macedoniam aditus" cf. Diod. 16. 8. Demosth. 10. 20; 659. 4; Schaefer Dem. 2. 21. Holm. 3. 237 sqq.

dis postquam a Philippo capta est, pauca dicamus de notione libertatis ut apud Graecos vigebat necesse est, quoniam ratio quae intercedebat inter urbes Graecas victas et victorem omnino discrepabat a notionibus de libertate et de autonomia, quae nostris temporibus usu receptae sunt.

Per omnia tempora formula plenae libertatis in Graecia ut tradita est a Polybio 4. 25. 7. in usu erat. Quae formula sic audit: *ὅτι πάντας τούτους ἀποκαταστήσουσιν εἰς τὰ πάτρια πολιτεύματα χώραν ἔχοντας καὶ τὰς πόλεις τὰς αὐτῶν, ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους ἐλευθέρους ὄντας πολιτείαις καὶ νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις.* Neque tantum tertio seculo haec formula in usu erat; tituli publici et rerum scriptores superiorum temporum, tantum non iisdem verbis, easdem conditiones libertatis etiam antea viguisse nobis demonstrant [1]).

Distinguendae igitur sunt quinque conditiones, quinque gradus libertatis. Primum, ut jus civitatis proprium civibus maneat, utque territorium aliquod servetur, in quo hi cives habitent, sive id contineatur tantummodo ipso solo in quo stent moenia urbis, sive ampliore loco extra urbem etiam pertinente. Secundus ut urbs vacua praesidio sit. Tertius ut libera sit a tributis ferendis. Quartus ut sit *ἐλευθέρα*, i. e. ut jus pacis et belli integrum sit, ut ei liceat pactiones facere cum externis. Quintus ut iis institutis et legibus utatur, quibus ipsis civibus placuerit.

Si prima conditio non servatur, si non amplius integra manent territorium civitatis et jus civitatis, deest conditio vitalis cujusque rei publicae. Exemplum civitatis quae deleta sit cum deleretur jus proprium civitatis, praebet urbs Corinthus a°. 392 ab Argivis in civitatem Argivorum ita re-

---

1) Thuc. 5. 79. de temporibus belli Peloponnesiaci: *ταὶ δὲ ἄλλαι πόλιες ταὶ ἐν Πελοποννάσῳ κοινανεόντων τᾶν σπονδᾶν καὶ τᾶς ξυμμαχίας αὐτόνο μοι καὶ αὐτοπόλιες, τὰν αὐτῶν ἔχοντες, καττὰ πάτρια δίκας διδόντες τὰς ἴσας καὶ ὁμοίας* e. a. apud Thuc. De anno 378 Dittenb. 80 . . *ἐλευθέρ)ωι ὄντι καὶ αὐτονόμωι, πολιτ(ευομέν)ωι πολιτείαν ἣν ἂν βόληται, μήτε (φρορ)ὰν εἰσδεχομένωι, μήτε φόρον φέροντι.* Ceterum cf. Diod. 19. 61. 3. Demosth. 327. 9. Plut. Titus 10. Aem. Paull. 28. Polyb. 46. 5. Xenoph. Hell. 6. 3. 18.

cepta, ut homines qui antea Corinthii fuissent, abhinc essent Argivi, et territorium quod antea fuerat Corinthiacum, fieret Argivum [1]). Eo accedere potest, ut bona civium a victore publicentur; res eo progredi potest, ut omnes cives in exilium cogantur, vel in servitutem veneant, brevi ut urbs vastetur a victore. Ita factum est a Macedonibus de nonnullis oppidis vicinis quae ceperant.

Haec conditio proprii territorii et proprii juris civitatis non concessa est Methonae anno 353, Olyntho anno 348, Phocensibus anno 346, Thebanis anno 336; illae urbes insuper vastatae sunt. Hoc igitur est gravissimum supplicium quod victis infligi possit. Sed fieri etiam potest ut jus antiquum civitatis non prorsus tollatur, sed conjungatur cum altero jure amplioris civitatis, ut nomen amplioris civitatis transeat quidem in hos cives, sed tamen etiam jus antiquum servetur et nomen suum retineat, exempli gratia ut Amphipolitani fiant quidem Macedones, jus civitatis Amphipolitanae conjungatur quidem cum jure civitatis Macedonicae, sed tamen civitas Amphipolitana et nomen Amphipolitanorum maneat. Tum jus proprium civitatis, quamvis ab illo abhinc pendeat (nam Amphipolitano esse non licet nisi qui simul Macedo sit), tamen per se quoque stat; nobis autem hoc jus civitatis inferius, et ab altero pendens *jus civitatis municipale* dicere liceat. Mitiora vero victis injunguntur si novum jus civitatis iis non imponitur, lenior haec est victorum conditio, etiamsi arci urbis captae praesidium imponitur, si tributa a civibus exiguntur. Nam etiamsi haec fiunt, tamen fieri potest ut conditiones quarta et quinta integrae sint, ut libertas civitatis in rebus externis et internis administrandis inviolata sit. Libertas in rebus agendis amittitur, si civitas fit municipium, jus civitatis fit jus

---

1) Xenoph. Hell. 4. 4. 6. *αἰσθανόμενοι ἀφανιζομένην τὴν πόλιν διὰ τὸ καὶ ὅρους ἀνασπᾶσθαι καὶ Ἄργος ἀντὶ Κορίνθου τὴν πατρίδα αὐτοῖς ὀνομάζεσθαι καὶ πολιτείας ἀναγκαζόμενοι τῆς ἐν Ἄργει μετέχειν . . . πειρωμένους δὲ τὴν πατρίδα, ὥσπερ ἦν καὶ ἐξ ἀρχῆς, Κόρινθον ποιῆσαι καὶ ἐλευθέραν ἀποδεῖξαι* Diod. 14. 92. 1. *Ἀργεῖοι . . . τὴν πόλιν ἐξιδιοποιησάμενοι τὴν Κορινθίων χώραν Ἀργείαν ἐποίησαν.*

municipale alterius civitatis. Sed etiam amittitur libertas, si urbs victa cogitur foedus inire iniquum cum victore, si hac conditione conjunguntur urbes sociae ut utraque νομίζῃ τοὺς αὐτοὺς φίλους καὶ ἐχθρούς. Tunc patet libertatem in rebus externis administrandis prorsus extinctam esse, et in his rebus victum ab omni parte pendere a victore [1]); res publica quantum attinet ad res externas non amplius existit. Libertas autem in rebus externis administrandis, quam libertatem municipalem dicere possis si cives etiam recipiuntur in alterum jus amplioris civitatis, non amittitur si cives victi coguntur mutare instituta sua eo modo ut res internae ad commoda et ad voluntatem victoris administrentur. Nam tametsi coacti sunt leges suas mutare, attamen cives ipsi summis rebus suis praesunt, nova instituta aeque eorum sunt ac superiora, a factione aliqua politica ipsius urbis perlata, quamvis urbs a victore coacta sit ea accipere. Si urbs non est municipii loco in alteram civitatem recepta, sed suum jus civitatis retinuit, haec potestas rerum internarum administrandarum ita solum amittitur, si praefectus aliquis a victore creatus, hujus nomine et hujus auctoritate rebus praeest; sin autem voluntas victoris non nisi auctoritate praevalet, libertas urbis sociae salva esse existimari debet et urbs sui juris esse pergit [2]).

Si illustrare libet hanc rem exemplo aliquo, afferri potest

---

1) cf. Busolt der Zweite Ath. Bund. 650.

2) cf. Dittenb. 1.1. μήτε ἄρχοντα ὑποδεχομέωι. Dittenb. 111. de insula Andro Athenis subjecta. Isocr. Panath. 97. πλεῖστοι μὲν οὖν κατηγόρουσιν ἀμφοῖν τοῖν πόλεοιν (Athenas et Spartam) ὅτι .... οὐκ εἴασαν τὰς πόλεις αὐτονόμους εἶναι καὶ διοικῆσαι τὰ σφέτερα αὐτῶν ὅπως ἑκάστῃ συνέφερεν, ἀλλ' ὥσπερ αἰχμαλώτους εἰληφυῖαι διελόμενοι κατεδουλώσαντο πάσας αὐτάς. cf. Holm Gr. G. 4. 148. Beeinsflussungen von Fremden, die nicht selten vorkamen, änderten an dem Rechtsbegriffe der autonomen Polis nichts. Auch während sie beeinflusst wurde, galt sie doch als autonom. Sie schloss Verträge ab in eigenem Namen, auch wenn eine fremde Besatzung in ihr lag. Die Verfassung selbst war auch durch solche Beeinflussungen nie vollkommen aufgehoben cf. ibid. p. 74 et Freeman History of federal goverment. pag. 18.

conditio Athenarum post bellum Lamicum, et sub Demetrio Phalereo. Praesidium Munychiae adest [1]), ipsi Athenienses aliquantisper tributum ferre coguntur [2]) primum coacti ab Antipatro democratiam mutant in timocratiam, tum Cassandro auctore Demetrius Phalereus rebus praeficitur, sed a civibus ipsis munera ordinaria magistratuum ei committuntur [3]), neque alio modo quicquam valuisset, nisi quotannis munere aliquo publico perfunctus esset. Foedere sane conjuncti fuerunt Athenienses cum Macedonia, sed fuit foedus aequum iis conditionibus initum quae inter cetera inveniuntur apud Xenophontem Hell. 6 3. 7. *ἀκολουθεῖν ὅποι ἂν ὑμεῖς ἡγῆσθε* [4]). Vel classem suam retinuerunt [5]), qua classe in bello intra annos 315—311 suo marte rem gesserunt [6]). Immo, anno 312 Athenienses coegerunt Demetrium ut legatos mitteret ad Antigonum, qui de societate cum eo tractarent [7]). Non opus est dicere haec omnia satis confirmare ea quae supra demonstrare conati sumus, nempe quod nullo modo tributa lata et praesidia arci imposita libertatem urbis alicujus attingunt, eodemque tempore ostendere, quemadmodum urbs Graeca, quamvis Macedoniae obnoxia esset, libertatem suam non amiserit [8]).

His constitutis superest videre quinam fuerit status Amphipolidis post annum 357. Imprimis magni interest scire quo-

---

1) Plut. Phoc. 28.

2) Ibid 30.

3) Dittenb. 164 *αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμ(ου.* Dittenb. l.l. ann. 5. Dittenb. 165 *τὸν στρατηγὸν Δημήτριον Φανοστράτου Φαληρέα* cf. E. Curtius. Stadtgesch. v. Athen p. 225.

4) cf. Busolt p. 649. sqq.

5) Droys. 2 2. 24 ann. 1. „Also Athen hat nach wie vor seine Flotte „und damit auch die Schiffshäuser in Munychia und in Peiraieus."

6) Dittenb. 166. Droys. 2. 2. 24 et 25.

7) Diod. 19 78 4.

8) Kuhn. p. 289. Aus vielen Beispielen der Griechischen Geschichte ist aber bekannt, dass wenn in der Geschichte Gemeinwesen unter ihren eigenen Namen verzeichnet werden, dies als Beweis ihrer selbstständigen Existenz galt.

modo Philippus sese gesserit erga cives subjectos. Hoc tantum apparet Phillippi adversarios et proditores urbis in exilium missos esse, eorumque bona publicata esse, alioqui regem comiter tractavisse Amphipolitanos [1]). Amphipolitani facti sunt Macedones. Sed territorium urbis, jus civitatis municipale, nomen Amphipolitanorum, postestas rerum internarum administrandarum municipalis, haec omnia iis relicta sunt. Ceterum non dubium est quin Philippus arci praesidium imposuerit, praesertim cum pateat sub successoribus Alexandri arcem illam in potestate Macedoniae principis fuisse [2]). Neque minus constat cives tributa tulisse, stipendia fecisse in regio exercitu [3]).

Sed haec nihil attinent ad libertatem ipsius urbis. Constat autem urbem post annum 359 non amplius nummos autonomos, ut dicunt, percussisse, sed Philippi, ornatos tantum insigni urbis, face, tridente sive bucranio.

Insuper inscriptio ad medium fere quarti seculi pertinens his postremis annis edita est, in qua civis Amphipolitanus Macedo vocatur [4]). Arrianus Nearchum Amphipolitanum praefectum classis inter duces Macedonicos enumerat [5]), nihil igitur obstat quominus consideremus Amphipolin a Philippo captam ut urbem Macedonicam, cujus cives iisdem juribus et privilegiis fruebantur quibus reliqui Macedones. Nearchus enim classi praepositus erat, Apollodorus Amphipolitanus inter hetaeros regios numerabatur [6]).

Quod autem attinet ad res internas, decretum quo Philon et Stratocles post urbem captam in exilium missi sunt [7]),

---

1) Diod. 16. 8. 2. Dittenb. 113. Schol. Dem. 10. 18.

2) Justin 14. 6. 13. Diod. 19. 50. 8.

3) Strabo 323 cf. Justin 11. 1. 10. Demosth. 657. 20. *Φίλιππον ... τὰς ἐξ ἁπάσης Μακεδονίας προσόδους ἀδεῶς λαμβάνειν ἢ μετὰ κινδύνων τὰς ἐξ Ἀμφιπόλεως.* Arrian 1. 2. 5.

4) Bull. Corr. Hell. 1897. p. 110. *Εὐαίνετος Ἀρίστωνος Μακέδων ἐξ Ἀμφιπόλεως.*

5) Arrian. Indica 18. 4. cf. § 10.

6) Arrian. 7. 18. 1.

7) Dittenb. 113.

nos docet concilium plebis perinde ac antea extitisse. Eadem autem inscriptio προστάτας commemorat, quibus cura legum commissa erat, de quibus praefectis autem non patet utrum a' rege instituti sint, an creati a plebe. Consentaneum est conjicere res internas administratas esse ab ipsis civibus auspiciis horum praefectorum, et in universo statum ipsius urbis non multum discrepuisse a conditione municipiorum Romanorum. Neque quicquam obstat quominus suspicemur, statum reliquarum urbium et coloniarum Graecarum, quae sitae erant intra fines Macedonicos, non multum discrepuisse ab Amphipolidis statu, postquam a Philippo captae sunt. Ratio enim docet regem omnes urbes Graecas intra fines Macedonicos ab eo occupatas ad unam normam regno suo injunxisse tamquam municipia Macedonica.

Pydna (cf. p. 5) quae urbs post varias vicissitudines sese in fine regni Perdiccae II tandem in libertatem vindicavit, paullo post Amphipolin captam, etiam a Philippo occupata est, qui sese simili modo gessit contra victos ac Amphipolide. Etiam haec urbs Macedonica fit [1]), Potidaea autem eodem tempore vastata est et ager urbis Olynthiis datus est.

Sed alia fuit conditio Philipporum, quae urbs anno 354 a rege condita est in terminis finium suorum, munimenti instar contra Thraces barbaros, ut eos metallis Pangaei arceret [2]). Droysen 3. 2. 189 urbem liberam vocat et jure quidem. Nec tamen urbs fuit ἀφρούρητος, facere enim non possumus quin suspicemur Philippum urbem nuperrime conditam in terminis finium suorum firmissimo praesidio munivisse contra invasiones Thracum. Neque minus ἀφορολόγητος fuit; praecipui reditus enim Philippo affluxerunt e Pangaei metallis [3]). Sed aliquantisper ἐλευθέρα fuit [4]).

---

1) Arrian Anab. 3. 5. 3. Indica 18. 5. Diod. 16. 8. 3. Demosth. 10. 20 et schol. ad h. l.

2) De Philippis cf. Kuhn. p. 305 sqq. Schaef. Dem. 2. 26. Strabo 331 fr. 33 et 34. Diod. 16. 8. 6.

3) Strabo 323. Diod. 16. 8. 6.

4) Cousinery. Voyage dans la Macédoine 2. p. 38.

Quod cum nummi, tum inscriptiones indicant. Exstant enim nummi aurei et argentei urbis quibus inscriptum est „Φιλίππων, etiam inscriptio Delphica aetatem tulit in qua locutio est de civibus Φιλιππεῦσι [1]). Nec tamen diu illa libertas stetit. Iam vivo Philippo jus percutiendi nummos autonomos iis ademptum est [2]), verosimiliter urbs eodem modo quo Amphipolis et Pydna Macedonica facta est.

Duriorem sortem passa est Methone urbs, quam aggreditur rex anno 353, capitque post diuturnam obsidionem, cives patriam relinquere coacti sunt cum singulis vestimentis, urbs vastata est, agri inter Macedones divisi sunt [3]).

His urbibus Philippo subjectis, neque magis diu libera mansit paeninsula Chalcidice. Nobilis quidam Macedo, qui sibi vindicabat Philippi regnum, ab Olynthiis liberaliter exceptus, optimam belli suscipiendi occasionem dedit, quod bellum finem non cepit antequam aliquot urbes, interque eas Olynthus, vastatae sunt, universa paeninsula Philippi regno injuncta est a°. 348 [4]). Quae res magis aperte demonstratur duabus inscriptionibus Delphis inventis, quorum una commemorat Theodorum Arethusium Chalcidensem, altera paullulum recentior Polydamanta Arethusium Macedonem [5]). Neque minus ab hac re cavendum est ne nimiam fidem habeamus locis Demosthenis, ubi de excidio paeninsulae Chalcidices loquitur [6]).

---

1) Bull. de C. H. 1897. p. 108. Σωσικράτει ΣωσΘέ)νει Σωκράτει Τιμοκ(λεῖ Τι) μάνδρου παισ(ὶ) Φιλι(ππεῦσι) cf. C. I. A. II 963. coll. III v. 18. C. I. G. S. 2433

2) Sboronos. Hist. Numism I. p. 285.

3) Schaefer. 2. 30 ann. 4. Diod. 16. 31. 6; 34. 5. Demosth. 117. 20. Polyaen. 4. 2. 15 ceterum cf. p. 18.

4) Strabo, 330 fr. 24. ἐν Θρᾴκῃ ἡ νῦν Μακεδονία καλεῖται. Diod. 16. 53, 3. Polyb. 9. 28. 2. Appian. B. C. 4. 102. Kuhn, p. 292 sqq.

5) B. C. H. 1897. p. 106 et 107. Θεοδώρω(ι) ... δικου Ἀ(ρ)εθουσίω(ι ἐχ Χαλκι)δικῆς et Πολυδάμας Ἀρεθουσ(ίος Μακ)εδών.

6) Demosth. 117. 20. Ὄλυνθον μὲν δὴ καὶ Μεθώνην καὶ Ἀπολλωνίαν καὶ δύο καὶ τριάκοντα πόλεις ἐπὶ Θρᾴκης εὖ, ἃς ἁπάσας οὕτως ὠμῶς ἀνῄρηκεν ὥστε (μηδένα) μηδ'εἰ πώποτ' ᾠκήθησαν προσελθόντ' εἶναι ῥᾴδιον εἰπεῖν. cf. Appian. B. C. 4. 102. Strabo 447.

Diodorus enim multo mitiora de Philippo tradidit [1]), Philippum vastata Gira castello aliquot oppida imperata facere coegisse, diruta Olyntho autem reliqua oppida per terrorem ad se traxisse.

Paul Perdrizet v. d. nisus v° d° Koehler, qui in „Sitzungsberichte der Berliner Academie" 1891 I p. 473—487, de hac re scripsit putat tantum vastata esse Potidaeam, Olynthum Galepsum et Apolloniam [2]) quibus tamen sine ullo dubio Stagira addenda est [3]). Ceterum idem vir doctus alio loco [4]) demonstravit Galepsum et Apolloniam jam mox in integrum restituta esse. Neque diu post Olynthus quoque denuo effloruisse videtur, quod testatur inscriptio Attica anni 300—299, quae civem Olynthiacum commemorat [5]), cum tertio seculo Olynthii nobis tam frequenter obvii sint, ut concludere liceat urbem tunc temporis non minus floruisse quam seculo ante [6]).

---

§ 7. De bellis a Philippo in Thracia gestis.

Non secus ac reliquae gentes Macedoniae finitimae Thraces quoque perpetuo bella cum Philippo gesserunt. Primum bellum quod aetatem tulit cadit in annum 355 cum rex Thraciae occidentalis Cetriporis [7]) conjunctus cum Illyriis, Paeonibus et Atheniensibus frustra conatus est occupare metalla Pangaei [8]). Sed longe majoris momenti fuerunt bella quae postea gesta sunt contra Cersobleptem

---

1) Diod. 16. 52 et 53. cf. Demosth. 426. 13.

2) B. C. H. 1897 p. 117. Strabo 331. 35 i. f.

3) Schaef. Dem. 2. 154 ann. 2.

4) B. C. H. 1894. p. 441.

5) C. I. A. II 611. ibid 963.

6) cf. de his rebus P. Perdrizet B. C. H. 1897 p. 117. sqq.

7) Dittenb. 114. ann. 2.

8) Diod. 16. 22. 3. Dittenb. 114. *καὶ* Κρ(η)νίδ(α)ς *συνε(ξ)αι(ρήσω μετὰ* Κετριπ)-*ό(ρ)ιος*. Schaefer 2. 26.

qui cum in parte Orientali Thraciae Byzantium versus rebus praeesset, id studuit ut Amadocum regem regionum circa Maroneam [1]) et Cetriporin regnis pelleret [2]). Anno autem 353 postquam Philippus bello Thessalico ad Thermopylas repulsam tulit, rex comitatus a Pammene Thebano iter ad Persarum regem in Asiam faciente, in ipsam Thraciam penetravit, Abdera et Maroneam, adhuc socias Atheniensium occupavit, et in potestate sua retinuit [3]).

Firmatis rebus Thessalicis antequam bellum cum Arybba Epirota exarsit (supra p. 11) anno 352 Philippum denuo in Thracia ubi reges Cersobleptes et Amadocus de summa re certabant, occupatum invenimus [4]). Philippus autem favit Amadoco [5]) foedere conjuncto cum Byzantinis et Perinthiis, Cersoblepten coegit sese continere intra fines suos, utque fidem praestaret eum jussit filium suum obsidem mittere in Macedoniam [6]).

Jamnunc Philippus videtur composuisse res Thraciae quemadmodum sibi placuerit [7]), Byzantini quoque foedus cum eo confirmarunt [8]). Quamquam Philippi auctoritas in Thracia hac expeditione admodum crevit, tamen proposita sua ad finem perducere non potuit, cum morbus in quem incidit eum coegerit domum reverti. Deinde non patet res Thracicas ante 347 mutatas esse. Sed hoc anno Cersobleptes, qui bello Olynthiaco per affinem suum Charidemum interfuisse videtur [9]) eam ob causam ab Antipatro Philippi praefecto bello lacessitus est [10]).

---

1) Demosth. 681. 27.
2) Demosth. 623. 18 sqq.
3) Diod. 16. 34. Demosth. 681. 26. cf. Schaef. 1. 440 sqq.
4) Demosth. 12. 28.
5) Theopomp. XI fr. 109. Harpocration i. v. Ἀμαδόκος.
6) Aeschines Parapr. 81. et schol. ad hunc locum.
7) Isocr. Phil. 21. p. 86, ἀπάσης τῆς Θρᾴκης οὓς ἠβουλήθη δεσπότας κατέστησεν.
8) Aeschin. schol. l.l. Demosth. 120. 4; 254. 24; 257. 10.
9) Schaefer 2. 178.
10) l.l. ann. 2.

Quod bellum sequenti anno ab ipso rege continuatum est, cum ab altera parte Cersobleptes auxilia acciperet a Charete Atheniensium duce, qui cum classe in Chersonneso aderat. Et dum Athenienses auctore Philocrate cum Macedonibus de pace agebant, dum Philippus per legatos benigne omnia pollicebatur quaecumque Atheniensibus grata erant [1]), dum pax jam facta necdum a rege confirmata erat, deinceps cepit Serrhium, Doriscum et Hieron Oros [2]), vel ad Ganum usque ad Propontidem penetravit, eodem tempore Chersonnessi parti ultra Agoram sitae Apollonidem Cardianum praefecit [3]), arctissime sese conjunxit cum urbe Cardia, quae tamen ut antea sui juris mansit [4]). Quae omnia Philippus retinuit postquam pacem cum Atheniensibus confirmavit [5]), universae orae Maritimae Thraciae ad Ganum usque ei obnoxiae redditae sunt [6]).

Patet enim urbes illas posthac tributa tulisse regi Macedoniae [7]), praesidiis Macedonicis cohibentur [8]), libertatem in rebus externis amittunt [9]), nummi quoque autonomi haud secus ac Amphipolide Aeni, Abderis percuti desinunt [10]). Insuper cives illarum urbium stipendia fecerunt in Philippi exercitibus[11]) fortasse procurator regius summis rebus praeest[12]). Sed nihi-

---

1) Aeschin. Parapr. 82. Demosth. 365. 22 et 29. cf. autem Holm 3. 283 et 291 sqq.

2) Demosth. 85. 26; 114. 15; 105. 15 cet.

3) De Apollonide Demosth. 86. 10 sqq; 681. 25.

4) Demosth. 87; 161. 20. Diod. 16. 34. 4. Schaefer 1. 164.

5) Demosth. 234. 11. Schol. ad Dem. 392. 8.

6) Demosth. 89. 6.

7) Demosth. 234. 15.

8) Demosth. 1334. 20.

9) Ibid. *οἷς ἦν αἱρετώτερον φρουρὰν ὑποδέχεσθαι καὶ βαρβάρων ἀκούειν.*

10) Sboronos I 315 et 318.

11) Demosth. 234. 15. *καὶ μὴ προλαβὼν ἐκεῖνος τοὺς ἐπικαίρους τῶν τόπων κύριος τῆς Θρᾴκης κατασταίη μηδὲ πολλῶν μὲν χρημάτων πολλῶν δὲ στρατιωτῶν εὐπορήσας ἐκ τούτων ῥᾳδίως τοῖς λοιποῖς ἐπιχειροίη πράγμασιν.*

12) Droys. 1. 1. 158. „Von diesen wenn man will Königlichen Städten in Thrakien."

lominus cives Graeci manserunt, nullo modo Macedones facti sunt [1]) immo socii Macedoniae appellantur (Diod. 17. 71). Res internae autem ab ipsis civibus administrabantur, tametsi omnia ad nutum et voluntatem regis fiebant, per factiones politicas ut videtur auctoritas ejus etiam his in locis valuit [2]).

Status autem harum urbium optime comparari potest cum statu civitatium dediticiarum vel stipendiariarum quae fuerunt in provinciis populi Romani [3]).

Itaque Philippus oras maritimas Thraciae hoc modo ad se traxit, ad Ganum usque dominus agnitus est. Sed Byzantium extra societatem sese in libertatem vindicavit [4]), cum ipse Cersobleptes, amissis tot regionibus, jam nunc coactus esset tributa ferre [5]) denuo Philippi principatum agnoscere. Filius autem regius obses in Macedonia mansit [6])

Cersobleptes hoc modo Philippo obnoxius factus, regi non eo usque oboedivisse videtur ut huic in omni re dicto audiens fuerit, contra, anno 342 foedere junctus cum Tere alterius gentis Thracicae rege, urbes in oris maritimis a Philippo occupatis bello lacessivit [7]), adeo ut Philippus coactus esset iterum sese vertere in Thraciam, ubi reges socios pluribus cladibus affecit eosque persecutus est in regiones mediterraneas, donec tandem eos regnis suis pepulit [8]), ipsis gentibus decimas persolvendas imposuit [9]). Quo regnum suum confirmaret, quo Thracicas gentes cohiberet, non solum nobilibus Macedonibus agros in Thracia dono dedit [10]), sed

---

1) Arrian 1. 11. 4. Ἄβδηρα καὶ Μαρώνειαν πόλεις Ἑλληνίδας. Indica 18. 7.

2) Demosth. 218. 10 et 1334. 10 ἐν οἷς οἱ μὲν ἐφιλίππιζον οἱ δ'ἠττίκιζον αὐτῶν. (De Aeno).

3) Willems Droit Public Romain 362.

4) Demosth. 63. 19.

5) Diod. 16. 71. 2.

6) Aeschin. Parapr. 81.

7) Diod. 16. 71. 1.

8) Demosth. 161. 15. κομίζεσθε καὶ παρ' ἐμοῦ τὴν Θρᾴκην ὅσης Τήρης καὶ Κερσοβλέπτης ἦρχεν. Arrian. 7. 9. 3.

9) Diod. l.l.

10) Schaefer 2. 449.

etiam locis idoneis urbes condidit, Philippopolin ad Hebrum flumen [1]) et Kabylem, postea praecipuas urbes Thraciae [2]). Drongilus Mastira, Bine et Beroe etiam his temporibus attribuendae sunt [3]). Cives autem his urbibus praebuit traducendo in Thraciam gentes remotissimis locis sedes habentes, omne genus sceleratorum pellexit ut sedes in has urbes mutarent, ut ex hominibus ita permixtis unam novam nationem formaret [4]). Sic legimus apud Polyaenum 4. 2. 12. Philippum decem milia Sarnusiorum in Macedoniam traduxisse, eodem modo secundum Plutarchum Alex. 9. Alexander anno 340 Maedos sedibus suis pepulit, omne genus hominum in eorum agris collocavit.

Ad analogiam urbium captarum in Macedonia v. c. Amphipolidis, suspicandum est etiam eas libertate quadam in rebus internis usas esse, earum conditionem haud ita multum discrepuisse a statu Amphipolidis, praeterquam quod initio praefectus praesidii, id enim sine dubio in urbibus illis aderat, majore potestate donatus erat [5]).

Consentaneum enim est conjicere, quamquam nullo loco quicquam de hac re traditur illas urbes nuper conditas pro Macedonicis habendas esse, quod res ipsa fert; earum cives donatos esse jure civitatis Macedonico, quo fieret ut omnibus juribus frui possent quibus ipsi Macedones; conditionem earum quod attinet ad regnum Macedonicum, ab omni parte parem fuisse rationi quae intercedebat inter regnum Romanum et municipia civium Romanorum a Caesaribus extra fines Romanos condita. Cives enim eorum municipiorum civitate Romana donati, secundum jus Italicum iisdem juribus frue-

---

1) Steph. Byz. Φιλιππόπολις. Polyb. 23. 8. 5.

2) Demosth. 100. 22. Theopomp. fr. 246. Strabo 320.

3) cf. Kuhn, 313. Schaefer 2. 448. Holm. 3. p. 312 ann. 7.

4) Justin 8. 6. „Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit; alios „in extremis statuit, quosdam bello captos in supplementis urbium „dividit. Atque ita ex multis gentibus, nationibusque unum regnum „populumque constituit."

5) cf. Schaefer 3. 103.

bantur quibus cives intra fines regni [1]) pro Romanis habendi erant. Ad eandem analogiam ratio docet cives illarum urbium Macedonicarum, quae extra fines conditae erant pro Macedonibus habendos esse.

Ceterum adeo prospere in Septentrione Philippus rem gessit, ut Cothelas Getarum rex, jam nunc foedus cum Macedone inierit [2]), ut Apollonia et Odessus urbes ad Pontum sitae sese societate cum rege junxerint [3]).

Nec tamen sequenti anno aeque prospere res gessit in Meridie Philippus. Frustra oppugnavit deinceps Perinthum et Byzantium, quibus Athenienses auxilia miserunt, auctoritatem suam in Chersonneso sustinere non potuit.

Meliore fortuna usus, filius ejus Alexander eodem tempore Maedos, Thracicam gentem ad Strymonem sedes habentem [4]), sedibus suis ejecit, urbem Alexandropolin condidit [5]), quorum agris eo modo quo supra commemoratum est, novos incolas subministravit Ipsa Maedica posthac pars ipsius regni Macedonici habenda est [6]).

Non ante pacem Demadis post pugnam Chaeronensem anni 338, Philippi auctoritas in parte Orientali Thraciae firmata est. Tum demum Chersonnesus Thracica Philippo concessa est [7]); Byzantium pace facta cum Philippo [8]), societatem iniit quidem, plenam autem libertatem retinuit [9]).

---

1) cf. Willems p. 495.

2) Satyr. fr. 5 (Athen. 13. 557d) *καὶ τὴν Θρᾴκην δὲ ὅτε εἶλεν (Φίλιππος) ἧκε πρὸς αὐτὸν Κοθήλας ὁ τῶν Θρᾳκῶν βασιλεὺς ἄγων Μήδαν τὴν θυγατέρα καὶ δῶρα πόλλα.* cf. Jordanis 10 e Dione Chrys. *Γετικὰ* cf. Schaefer 2. 447.

3) Justin 9. 2. 1. Schaefer 2 450 ann. 1.

4) Strabo 331. 36. i. f.

5) Plut. Alex. 9.

6) Demitsas 2. 519. Forbiger Realencycl. 4. p. 1355. „Sie beunruhigten die Makedonier nicht selten durch ihre Einfällen, bis sie endlich von diesen überwältigt und mit ihrem Lande vereinigt wurden, seit welcher Zeit Mädika den Nordlichen District Makedoniens bildete."

7) Schaefer. 3. 28. de urbibus Chersonnesi cf. ea quae p. 27 dicta sunt de Abderis cet.

8) Schaefer. 3. 51.

9) Arrian 1. 3. 3

§ 8. De Paeonia, Dardanis, Triballis, Scythis.

Paeoniam regnum Septentrionem versus Macedoniae finitimum, jam supra obiter attigimus. Jam vidimus anno 358 mortuum esse Agidem regem (supra. p. 7) cui successit Lykkeus sive Lykpeus ut nomen ejus nummis inscriptum est, sive Lyppeus [1]), qui jam eodem anno coactus est agnoscere principatum Macedoniae [2]). Neque meliore fortuna usus est idem rex, cum anno 355 foedere junctus cum Illyriis sub Grabo rege, cum Thracibus et Atheniensibus [3]), rursus Philippo bellum intulit. Iterum profligatus est et Philippo subjectus mansit.

Neque postea Lycceus noster, neque successor ejus Patraus fidem erga Macedones mutasse videtur, nullo loco enim in posterioribus expeditionibus contra barbaros septentrionales, ne initio regni Alexandri quidem, cum tantum non omnes gentes septentrionales contra Macedoniam insurrexerunt, Paeonum rex nobis obvius est ut hostis regis Macedonum. Contra, quod Arrianus eos uno tenore nominat cum Agrianis [4]), qui in fide Macedonica manserunt [5]), indicium est neque magis Paeones ab Alexandro defecisse, praesertim cum paullo post iidem Aristone duce milites miserint ad Alexandrum qui cum rege Macedonico stipendia facerent in Asia [6]).

Neque sub successoribus Lyccei amicitia Paeoniae cum Macedonia languebat, nihil enim amplius de iis audimus nisi quod anno 310 Audoleon rex auxilium petiit a Cassandro contra Autariatas, Cassandrumque ei opem tulisse [7]). Illo

---

1) Dittenb. 114.

2) Diod. 16. 4. 2.

3) Dittenb. ibid. Diod. 16. 22. 3.

4) Arrian 1. 5. 1. cf. Diod. 17. 8. 1.

5) Arrian 1. 1. 11. Appian Ill. 14. *ἔνδοξοι δ'εἰσὶν (οἱ Παίονες) ἐκ Μακεδόνων δὶ 'Αγριᾶνας, οἳ τὰ μέγιστα Φιλίππῳ καὶ 'Αλεξάνδρῳ κατεργασάμενοι Παίονές εἰσι τῶν κάτω Παιόνων, 'Ιλλυριοῖς ἔποικοι.*

6) Arrian. 2. 7. 5; 9. 2. Curtius 4. 9. 24.

7) Justin 15. 2. 1. Diod. 20. 19. 1.

anno igitur foedus inter Macedones et Paeones adhuc exstitit. Sed anno 306 cum principes Macedonici titulum regium assumpserunt, Audoleon quoque hunc titulum sibi arrogavit, ut patet ex nummis, qui inde ab hoc tempore inscriptione ornati sunt „Αὐδωλέοντος βασιλέως [1]), quod tamen mea quidem sententia nihil significat nisi quod Audoleon illo anno foedus cum Macedonia rupit, sese ab omni parte in libertatem vindicavit. Quae cum ita sint, suspicari ausim rationem inter Macedoniam et Paeoniam inde ab anno 358 usque ad 306 non admodum mutatum esse. Sed ab altera parte nuncii de hac ipsa ratione, qui aetatem tulerunt, adeo rari sunt, ut omnino nihil nisi conjectura de hac re statui possit.

Ante omnia alia suspicari licet Paeoniam satis laxo vinculo Macedoniae conjunctam fuisse, primum quod nomina omnium principum qui illis temporibus Paeoniae praefuerunt aetatem tulerunt, quae res comprobat eos satis notos fuisse apud antiquos, quod fieri non potuisset, nisi libertate quadam fruiti essent.

Tum nummi Paeonici illis temporibus cusi omnino nihil commune habent cum Macedonicis, nisi quod caput Apollinis in nummis Paeonicis, simillimum est eidem effigiei in nummis Macedonicis, quae similitudo tamen nullo modo indicare potest Paeoniam e Macedonia pependisse [2]).

Quandoquidem mihi summa cum comitate copia gratissima data est inserendi libello meo aliquot exemplaria nummorum depicta e regia collectione Hagae Comitis, hoc loco inseratur descriptio nummorum Paeonicorum in tabula nostra et unius Macedonici quem addidi ut comparari possint inter se.

---

1) Sboronos 1. p. 306.
2) cf. in Tabula I. II et V.

I. Lycceus (359—340).
Caput Apollinis laureatum.
℞ ΛΥΚΚΕΙΟΥ. Hercules strangulans leonem, arx et Pharetra.

II. Patraos (340—315).
Caput Apollinis laureatum.
℞ ΠΑΤΡΑΟΥ. Eques armatus occidit hostem humi jacentem.

III. Audoleon (315—286)
Caput Minervae galeatum.
℞ ΑΥΔΩΛΕΟΝΤΟΣ. Equus Ϡ.

IV. Audoleon.
Caput Minervae cum galea tribus cristis ornata.
℞ ΑΥΔΩΛΕ·ΝΤ·Σ. Equus liber decurrens in dextram partem.

V. Stater Philippi Pellae cusus.
Caput Apollinis laureatum.
℞ ΦΙΛΙΓΓ·Υ. Biga, auriga cum scutica, fulmen.

Porro non patet Paeones tributa tulisse, neque magis Philippum pignora vel obsides postulasse, ut officiis suis erga Macedoniam perfungerentur, neque commemoratum est regem loca Paeonica praesidiis occupasse. Hoc tantum constat Paeones stipendia fecisse in exercitu Macedonico.

Sed perspicuum est Philippi interfuisse ut Paeones bene animati essent erga se, cum ager eorum munimenti instar esset contra invasiones barbarorum Septentrionis, quibus, si vellent, facilem aditum in Macedoniam praebere possent.

Hanc ob rem quoque conjicere velim Philippum plus indulsisse Paeonibus quam ceteris gentibus ab eo victis, fortasse hac sola re eum contentum fuisse, quod foedere aequo inito principatum suum agnoscerent [1]).

Ceterum in universo status Paeoniae haud dissimilem sese mihi offert conditioni earum gentium, quae postea a Romanis vocabantur „civitates foederatae et liberae" [2]).

Varia bella a Philippo gesta sunt cum barbaris qui a Septentrione Paeoniae sedes habebant. Prima expeditio contra eos jam anno 356 a Parmenione facta est, qui tunc Dardanos profligavit [3]). Altera expeditio nobis commemorata est ad annum 345. Hoc anno enim Philippus aggressus est primum Illyrios et Dardanos [4]), tum Triballos, quos coegit secum societatem inire [5]). Expeditio contra Orbelos aetatem tulit quidem, tamen nihil de hac re compertum habemus [6]).

Sed maximi momenti fuit annus 339, cum Philippus postquam frustra oppugnavit Byzantium, contra Scythas qui sedes habebant ad ripam dextram Danuvii fluminis, Pontum versus, in paeninsula quae hodie Dobrutscha vocatur, profectus est [7]).

Nec tamen contra illos quicquam aliud profecit, nisi quod eos hac castigatione absterruit ab invasionibus in Thraciam. Rex autem Scytharum Ateas nonagenarius acie caesus est [8]).

Sed cum domum rediret Philippus per agros Triballorum

---

1) Orat. Att. II p. 526 ubi dicitur de Philippo: *Ἰλλυριοὺς κατεστρέψατο καὶ Τριβαλλοὺς καὶ Παιόνων ἐκράτησεν*, qui locus sane indicat Paeones clementius a Philippo tractatos esse. quam reliquae gentes Septentrionis. cf. Schol. Dem. 15. 27.

2) Willems p. 360.

3) Plut. Al. 3. Justin 12. 16. 6. cf. supra p. 8.

4) Justin 8. 6. 2. Diod. 16. 69. 7. cf. supra p. 8.

5) Syncellus p. 265. Müller F. H. G. III 691. *μεγάλην κτησάμενος δύναμιν καὶ Τριβαλλοὺς ὑποτάξας.* Demosth. 240. 20.

6) Polyaen. 4. 2. 16.

7) Strabo 318. *καὶ τὰ ἕλη τὰ τῆς μικρᾶς καλουμένης Σκυθίας τῆς ἔντος Ἴστρου.* Diod. 16. 1. 5. Aeschin. Ctesiph. 128.

8) Lucian Macrob. 10. Schaefer 2. 521.

et Dardanorum, non nisi acerrimis proeliis devicta gente illa, sibi viam aperuit, et tandem saucius per vallem Axii fluminis in Macedoniam pervenit [1]).

Postrema autem expeditio in Septentrionem contra Dardanos et regem eorum Pleurian ut Droysen 1. 1. 115 ann. 1 suspicatur, anno 337 ab Alexandro incepta, a Philippo continuata [2]), admodum prospera fuit Macedonibus. Pleurias enim acie profligatus coactus est pacem facere cum Philippo, quibusnam autem conditionibus nusquam apparet. Hac re dumtaxat nos contentos esse oportet, quod conjicere possumus e loco Arriani eos principatum Philippi agnovisse, foedere regi conjunctos esse, verosimiliter tributa tulisse [3]). Arrianus enim 1. 1. 4 commemorat Illyrios et Triballos statim post Philippi mortem novas res molitos esse, ab Alexandro defecisse, satis indicii eos aliquo modo Macedonibus subjectos fuisse [4]).

---

§ 9. Ambracia, Acarnania.

Postquam Philippus anno 342 Arybbam regem Epiro pepulit, Alexandrumque affinem suum in solio regis Epiri confirmavit, expeditionem in Ambraciam et Acarnaniam fecit, quibus autem Athenienses opem tulerunt [5]). Nec tamen patet regem tunc quicquam assecutum esse. Sed anno 338 post pugnam apud Chaeroneam Philippus in regionibus quoque occidentalibus Graeciae res ad sua commoda mutavit.

Aetolis qui in bello nunc finito Macedonibus opem praestitere, rex Naupactum urbem tamquam praemium lati auxi-

---

1) Orat. Att. II 526. Vit. Dem. *κατεστρέψατο καὶ Τριβαλλούς*. Justin. 9. 3. Schaefer 2. 521.

2) Curtius 6. 3. 2; 8. 1. 25. Diod. 16. 93. 6.

3) Strabo 315 i. f.

4) Strabo 316. *Αὐταριᾶται καὶ Ἀρδιαῖοι καὶ Δαρδάνιοι καὶ Τριβαλλοί, ὑπ' ἀλλήλων μὲν ἐξ ἀρχῆς, ὕστερον δὲ ὑπὸ Μακεδόνων . . . ἐκπολεμούμενοι.*

5) Demosth. 1173. 28. *ἐπείσθητε ὑπὸ τῶν ῥητόρων εἰς Ἀκαρνανίαν στρατιώτας ἐκπέμπειν*. Demosth. 84. 21. Schaefer 2. 427.

lii occupandam tradidit [1]), Acarnanes et Ambraciotas sibi subjecit. Factio enim Acarnanum Philippo adversaria, quae cum sociis Hellenicis contra Philippum pugnavit apud Chaeroneam [2]), pace constituta a rege in exilium missa est, salutem autem Athenis petiit [3]). Quae res indicat Philippum in Acarnania hanc rationem dominandi secutum esse, nempe eum quantum fieri potuit, auctoritatem suam firmavisse mittendo in exilium adversarios suos, summam administrationem tradendo ei factioni quae suis rebus faveret. Neque alio modo Ambraciam urbem sibi obnoxiam reddidit. Nam etiam hic democratia abolita est, cum insuper praesidium Macedonicum arci impositum sit [4]).

---

§ 10. Res Graeciae, de Synedrio Corinthiaco.

Bello quod tantum non inde ab initio regni Philippi flagravit inter Athenienses et Macedones, quod vulgo vocatur bellum sociorum, tandem anno 346 finis impositus est [5]). Nam cum usque ad hunc annum Philippus fines ipsius Graeciae nondum attigisset, tunc autem Phalaecus Phocensium dux, de rebus suis desperans cum rege tractare coepisset de Thermopylis ei tradendis, haec res adeo plena periculi visa est Atheniensibus, ut auctore Philocrate de pace agere coeperint, eamque anno 346 confirmaverint. Societatem inierunt Athenienses et Macedones [6]) his conditionibus. Ut

---

1) Strabo 427. *Ναύπακτός ἐστι δὲ νῦν Αἰτωλῶν Φιλίππου προσκρίναντος.* Demosth. 120. 1. Pausan. 6. 16. 2.

2) Dittenb. 147. v. 11 et ann. 9.

3) Diod. 17. 3. 3. Dittenb. l.l. v. 25 *ἐπαινέσαι δὲ καὶ τοὺς (ἄλλ)ο(υς Ἀκα)ρ(νᾶνας τ)οὺς βοηθήσαντας .... καὶ) εἶνα(ι) αὐ(τ)οῖς, ἕως ἂν κατέλθωσι(ν, ἔγκτησιν ὧν ἂν) .. βούλωνται κ. τ. λ.*

4) Diod. 17. 3. 3; 4. 3.

5) Aeschin. Parapr. 70 sqq.

6) Dionys Ep. ad. Amm. 1. 11. p. 740. 8. *μετὰ τὴν Ὀλυνθίων ἅλωσιν, ἄρχοντος Θεμιστοκλέους, συνθῆκαι Φιλίππῳ πρὸς Ἀθηναίους ἐγένοντο περὶ φιλίας καὶ συμμαχίας.* Demosth. 385. 13; 84. 11; 345. 20. Aeschin. Parapr. 53. 61. in Ctesiph. 68.

utraque pars ea retineret, quae eo tempore quo pax fieret possideret („uti possidetis") [1]. Ut omnes socii Atheniensium pacis participes fierent, exceptis Phocensibus, Haliis et Cersoblepte Thraciae rege [2].

Jam supra commemoratum est quomodo Philippus fines suos in Thracia auxerit antequam pacem cum Atheniensibus firmaret (supra p. 27), nunc autem pace constituta, cum Phocensium duce Phalaeco agere perrexit, qui prodita patria saltus Thermopylarum regi tradidit, ea conditione ut ipse et milites ejus incolumes abirent [3].

Haec res causa fuit cur Phocenses sese non amplius defendere potuerint, sese dedere Macedoni coacti sint [4], qui per Thermopylas agros eorum ingressus, sine certamine universam regionem occupavit [5], eodem modo quo urbes Boeoticas quae cum Phocensibus steterant [6].

De sorte autem Phocensium ab Amphictyonibus Boeoticis et Thessalicis statim a Philippo convocatis ut res templi Delphici in integrum restituerent, decisum est [7], cum hieromnemones Attici et Spartani concilio non interessent [8].

Decreto Amphictyonum Phocenses concilio hieromnemonum excluduntur, duo suffragia, quae adhuc tulerunt, Philippo deferuntur, cui hoc modo copia data est, ut voluntatem suam hieromnemonibus obtruderet [9]. Omnes urbes Phocidis, Abis exceptis, dirutae sunt, dispersi sunt incolae in vicos, qui non plus quinquaginta familiis constarent, arma habere

---

1) Demosth. 82. 22 sqq. 83. 10 sqq.

2) Demosth. 395. 25. πρῶτον μὲν τοίνυν Φωκέας ἐκσπόνδους καὶ Ἁλεῖς ἀπέφηναν καὶ Κερσοβλέπτην. ibid 385. 13. Aeschin. Parapr. 85.

3) Diod. 16. 59. 3. Aeschin. Parapr. 138. 140.

4) Diod. l.l. Justin 8. 5. 2. „et Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio." Demosth. 358. 28.

5) Demosth. 360. 9; 365. 18.

6) Aeschin. Parapr. 141.

7) Diod. 16. 59. 4. Demosth. 356. 21.

8) Demosth. 60. 20.

9) Diod. 16. 60. 1. Paus. 10. 3. 3; 10. 8. 2; Demosth. 446. 6.

iis negatum est[1]). Agros autem suos retinuerunt e quorum reditibus quotannis quinquaginta talenta Apollini persolvenda erant[2]), donec summam in tabulas sacrilegii tempore relatam exsolvissent[3]). Arma Phocensium et mercennariorum a Philippo confracta sunt, eorum equi venierunt[4]). Exules Phocensium, et quotquot in partem sacrilegii venerant, piaculares habiti sunt, quos ex omni loco retrahere cuivis licuit. Pythiorum ludi posthac a Philippo cum Boeotis et Thessalis editi sunt, quandoquidem complures gentes Doricae sceleris in templum commissi fuerunt participes. Quae ad instaurandi oraculi curam pertinebant et cetera omnia quae ad religionem et pacem communem atque concordiam inter Graecos pertinebant, iidem ordinarunt[5]). Praerogativa oraculi Philippo data est[6]); Spartani eodem modo quo Phocenses Amphictyonibus exclusi sunt[7]). Moenia urbium Boeoticarum Orchomeni, Coronaeae et Corsiarum, quae cum Phocensibus steterant, destructa sunt[8]), cives autem harum urbium in servitutem venierunt, tota Boeotia et pars Phocidis Thebanis tradita est[9]). Et quasi haec omnia non satis essent, insuper universa Phocis vexata est latrociniis mercennariorum militum[10]), multi ex civibus coacti fuerunt relinquere patriam[11]).

Omnino negari non potest annum illum 346 Philippo

---

1) Diod. l.l. Demosth. 385. 2. *τῶν ἐχθρῶν Φωκέων ἄρδην ὄλεθρος καὶ ὅλων τῶν τειχῶν καὶ τῶν πόλεων ἀναίρεσις.* Paus. 10. 3. 2.

2) Dittenb. 141. 142. 143.

3) Diod. l.l. Persolvenda erant plus decem milibus talentorum, ut patet ex Diod. 16. 56. 6.

4) Diod. l.l. Demosth. 380. 26.

5) Diod. l.l. Aeschin. Ctesiph. 254.

6) Demosth. 446. 12. *ἡ πόλις δὲ τὴν προμαντείαν ἀφῄρηται.*

7) Paus. 10. 8. 2.

8) cf. Schaefer 2. 287 ann. 3.

9) Demosth. 62 et 375. 9. Schol. ad Dem. 69. 10. *Ἀπολωλότων Φωκέων δέδωκε τοῖς Θηβαίοις ὁ Φίλιππος τὴν Κορώνειαν καὶ τὸν Ὀρχομενόν, οὐ κατὰ τὸ δίκαιον.*

10) Justin 8. 5.

11) Demosth. 373. 11; 361. 16; 440. 19; 446. 6. Paus. 10. 3. 3.

maximi momenti fuisse, cum hoc anno societatem inierit cum Atheniensibus, Phocensibus subjectis, sodalis Amphictyonum collegii factus sit, quibus rebus nisus facile id efficere potuit, ut augeret auctoritatem suam in Graecia. Quae sine dubio crescere pergebat.

Anno 242 postquam res Thessaliae et Epiri firmavit more solito auctoritatem suam Orei et Eretriae in insula Euboea constituit, nempe per magistratus, quos Demosthenes tyrannos vocavit, regi autem devincti fuerunt; foedus quod jam anno 350 cum Euboeensibus iniit, eo modo mutatum est, ut posthac Philippus princeps harum urbium habendus sit [1]).

Sed non ante annum 338, post pugnam apud Chaeroneam, qua bello sacro, gesto ab Atheniensibus societate junctis cum Euboea, Thebanis, Megarensibus, Achaeis, Corinthiis, gentibus Peloponnesi, Leucadibus, Corcyraeis, Acarnanibus, finis impositus est [2]), universa Graecia Philippo devincta est. Post hanc pugnam enim Cadmea a Philippo occupatur, exules in urbem reducuntur, fautores Macedoniae rebus praeficiuntur, praecipui adversarii Philippi, qui foedus cum rege jam antea constitutum ruperant, bonis publicatis, aut interfecti, aut in exilium missi sunt, non solum captivi, sed etiam acie caesorum cadavera pecunia redimenda erant [3]).

Exules Orchomeni Plataearum Thespiarum in patriam reducti sunt, urbes adhuc Thebanis subjectae (cf. supra pag. 38) in integram libertatem restitutae sunt [4]).

---

1) Schaefer 2. 85, 114, 418, 430. Demosth. 133. 26; 125. 18; 126. 3; 119. 20; 125. 27; 113. 25; 125. 25. *ὁ σύμμαχος αὐτοῖς Φίλιππος.*

2) Aeschin. Ctesiph. 95. et 256. Demosth. 306. 14; Plut. Demosth. 17. Schaefer 2. 488. ann 4.

3) Diod. 16. 87. 3. Paus. 9. 1. 8; 6. 5. *Θηβαίους δὲ καὶ ἐς πλέον κατέλαβεν, οἷς γε καὶ ἐσήχθη ἐς τὴν πόλιν.* Justin. 9. 4. 7. „Principes civitatis alios „securi percussit, alios in exilium ire coegit, bonaque omnium occupavit. „Pulsos deinde per injuriam in patriam restituit. Ex horum numero „trecentos exules judices rectoresque civitati dedit."

4) Paus. 9. 1. 8; 4. 27. 10. *Ὀρχομένιοι . . . κατήχθησαν ἐς Βοιωτίαν ὑπὸ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου, καὶ οὗτοι καὶ οἱ Πλαταιεῖς.*

Maxima cum clementia tamen res Atheniensium constituit [1]). Captivi pugnae Chaeronensis nullo pretio redempti in patriam missi sunt, cineres acie caesorum Athenas transportandos curavit, filius regius Alexander cum Antipatro in urbem legatus missus est [2]), pax et societas inter Athenienses et Philippum auctore Phocione in integrum restitutae sunt. Oropos, de qua urbe tantum non semper certabatur inter Athenienses et Thebanos, quae nunc autem in horum potestate erat, Atheniensibus tradita est [3]), insulae Salamis, Delos, Samos, verosimiliter etiam Lemnos et Imbros Atticae manserunt [4]), sed Chersonnesus Thracica in Philippi potestatem pervenit eodem modo quo Scyros [5]).

Byzantium foedus cum Macedonia iniit. (supra p. 30).

Suis legibus ut antea utebantur Athenienses [6]); nullo modo militibus Philippi licuit invadere agros Atticos, neque magis navibus longis Macedonicis concessum erat ut ad Piraeum appellerentur [7]). Navigatio posthac libera est [8]), curam cohibendi piratarum vim Athenienses et Macedones communiter suscipiunt, sed principatus maris in Macedones transiit [9]), posthac principatus Atheniensium mari non amplius agnoscitur, omne vinculum quod adhuc extitit inter Athenienses et socios Graecos, dissolutum est[10]). Ab altera

---

1) Polyb. 5. 10.

2) Diod. 32. 4. 1; 16. 87. 3. Justin. 9. 4. 5.

3) Paus. 1. 34. 1. Schol. ad Dem. 259. 10. *Φίλιππος ..... σπεισάμενος Ἀθηναίοις ἐν τῷ ἀναχωρεῖν ἐπὶ Μακεδονίαν ἐχαρίσατο αὐτοῖς (Ὠρωπὸν) παρὰ Θηβαίων λαβών.*

4) Schaefer 3. 28. ann. 1. cf. supra p. 17.

5) Ibid.

6) Paus. 7. 10. 5. *Ἀθηναῖοι γὰρ μετὰ τὸ ἀτύχημα τὸ ἐν Βοιωτοῖς οὐκ ἐγένοντο Φιλίππου κατηκόοι.*

7) Schaefer 3. 27. ann. 6.

8) Demosth. 217. 8.

9) Demosth. l.l. 27. *ὃ παρ' ἐλάχιστον ἐποίησεν αὐτοὺς* (Macedones scil.) *ἀφαιρεθῆναι δικαίως τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν.*

10) Paus. 1. 25. 3. *Φίλιππος ... Ἀθηναίοις δὲ λόγῳ συνθέμενος ἔργῳ σφᾶς μάλιστα ἐκάκωσε, νήσους τε ἀφελόμενος καὶ τῆς ἐς τὰ ναυτικὰ παύσας ἀρχῆς.* Aeschin. Ctesiph. 134.

parte si placeret Atheniensibus iis licuit participes fieri societatis quam Philippus constiturus esset [1]). Philippus et Alexander cives Athenienses facti sunt, statua regis in urbe erecta est, praeterea diversis honoribus affectus est [2]).

Neque magis reliqui Graeci cunctati sunt pacem facere cum Philippo.

Euboea rursus foedus cum rege iniit, neque veridissimile est, nunc demum praesidium Macedonicum impositum esse Chalcidi, eodem modo quo Corintho [3]). Reliqui Graeci sese deinceps Philippi fidei commiserunt, sola Sparta sese in libertatem vindicavit [4]).

Philippus principatum Graeciae adeptus est, omnem Graeciam una societate junctam sibi devinxit [5]), Corinthus sive Isthmus fuit locus designatus ubi synedrium hujus societatis conveniret [6]), rex ab ipsis Graecis societati praepositus est [7]), nullo titulo regio, sed nominatus sive *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* sive *ἡγέμων* [8]).

Foedus quod inierunt Philippus et Graeci id spectavit ut regem adjuvarent si quis eum aggrederetur, vel si ipse hostem lacesseret [9]), fuit igitur foedus aequum ea conditione

---

1) Plut. Phoc. 16. Demosth. 220. 8. *καὶ γὰρ ἔτι προσγέγραπται ταῖς συνθήκαις· „ἐὰν βουλώμεθα τῆς κοινῆς εἰρήνης μετέχειν."*

2) Arrian. 1. 1. 3. Demosth. 331. 14. Paus. 1. 9. 4. Plut. Demosth. 22. *ζῶντα μὲν τιμᾶν καὶ ποιεῖσθαι πολίτην.*

3) Plut. Arat. 23. Strabo 428. cf. Polyb. 18. 11. 4. Schaefer 3. 52 ann. 4.

4) Arrian. 1. 1. 2. De finibus Spartae cf. Niese. 1. 37.

5) Aelian. V. H. 6. 1.

6) Plut. Al. 14. Demetr. 25. Diod. 16. 89. 3; 17. 4. 9.; 73. 5. Justin. 9. 5. 1; 11. 2. 5.

7) Diod. 16. 89. 3. *Τέλος δὲ τῶν Ἑλλήνων ἑλομένων αὐτὸν στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῆς Ἑλλάδος.*

8) Demosth. 295. 12; 215. 1. Polyb. 9. 33. 7. Dittenb. 149. 21. Justin. 9. 4. 2. »Nec regem se Graeciae, sed ducem appellari jussit" (Philippus scil.).

9) Justin. 9. 5. 4. »Auxilia deinde singularum civitatium describuntur, sive adjuvandus ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellum inferendum."

ictum ὅπως ἀκολουθῶσι οἱ Ἕλληνες ὅποι ἂν ὁ βασιλεὺς ἡγῆται [1]), communi consilio Persis bellum inferre sibi proposuerunt, Philippo duce [2]).

Synedrium autem summae totius praefuit, singulae urbes singula suffragia ferebant [3]), convocatur a rege vel a vicario ejus [4]).

Ante omnia alia, non solum libertas et libera possessio bonorum omnibus Graecis concessa est [5]), (hoc enim sequitur e genere foederis) ut vacui tributis essent, sed etiam liberum commercium et libera navigatio data est [6]), classis non secus ac antea a sociis ornabatur [7]).

Nulla civitas obligata erat naves longas alterius civitatis excipere [8]).

Prisca instituta integra manserunt in omnibus fere civitatibus [9]); quicumque contra hanc legem novas res moliebatur a ceteris sociis bello cohibendus erat [10]).

Synedrium cavebat ne caedes fierent aut exilia contra leges in urbibus constitutas, neve bonorum publicationes, neve agrorum divisiones, neve tabulae novae, neve manumissiones servorum ad novas res moliendas [11]), insuper id curabat ut pax servaretur. Si quando dissentiebatur inter

---

1) cf. Busolt. p. 649. et supra p. 20.

2) Arrian. 7. 9. 5. Diod. 16. 89. 2. Aeschin. Ctesiph. 132. Justin. 9. 5. 5.

3) Niese 1. 38.

4) Diod. 17. 4. 9; 73. 5. Schaefer 3. 54. ann. 1.

5) Demosth. 213. 24. ἔπειτα καὶ ἐπιτάττει ἡ συνθήκη εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ἐλευθέρους εἶναι καὶ αὐτονόμους τοὺς Ἕλληνας. Polyb. 9. 33. 6. cf. Dittenb. 80 init. Schol. ad. Demosth. 255. 12.

6) Demosth. 217. 8.

7) ibid 17.

8) Demosth. 218. 27.

9) Diod. 18. 56. 6. εἰ δέ τινα τῶν πολιτευμάτων Φίλιππος ἢ Ἀλέξανδρος ἀπέδειξαν αὐτοῖς ὑπενάντια.

10) Demosth. 213. 10; 214. 11; 215. 15. Diod. 18. 56. 3. Dittenb. 149. ἐὰν τίς τι) παρασπον(δῆι π)ε(ρὶ τὰς συνθήκας βοηθήσω) κάθοτι ἂν πα(ρ)α(γ)(γέλλῃι ἀεὶ τῶι δεομένωι) καὶ πολεμ(ή)σω τῶ(ι τὴν κοινὴν εἰρήνην παρα)βαίν(ο)ν(τι.

11) Demosth. 215. 19.

socios, synedrium consensu litigantium arbitros dat [1]).

Ceterum scriptum erat, non licere exules progressos ex aliqua urbe foederata, contra ullam urbem foederatam arma ferre, quod si fiebat, ea urbs e qua profecti erant, foedere excludenda erat [2]).

Neque fines cujusquam urbis sociae, ut confirmati erant pactione cum Philippo, mutare licuit, neque bellum gerere cum sociis [3]).

Non permissum erat Graecis stipendia facere contra Macedoniam, neve quid hostile moliri contra regem, si quis contra hanc legem fecisset bona ejus publicanda, ipse autem in exilium mittendus erat [4]).

Non licuit restituere oppida Amphissam, Pharcedonem, Triccen, neque magis constituere instituta Philippo contraria, neque iis concedere reditum, quos Philippus patriis sedibus pepulisset [5]).

Numerus militum et navium, quem socii missuri essent a Philippo constitutus est [6]).

Amphictyones judices erant designati iis in rebus quae contra foedus facta forent [7]).

Ad socios cohibendos praesidia posita sunt Chalcide,

---

1) Dittenb. 428. *Ἔκρινε ὁ δᾶμος ὁ τῶν Ἀργείων κατὰ τὸ δόκημα τοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλάνων, ὁμολογησάντων Μαλίων καὶ Κιμωλίων ἐμμενὲν ἄι κα δικάσσαιεν τοὶ Ἀργεῖοι περὶ τᾶν (ν)άσων.*

2) Demosth. 216. 3. Dittenb. 149.

3) Schaefer 3. 55. Dittenb. l.l. *οὐδ)ὲ ὕπλ(α) ἐ(π)οί(σω ἐπὶ πημονῆι ἐπ' οὐδένα τῶν) ἐμμε(ν)όντ(ω)ν ἐν τ(ῆι εἰρήνηι οὔτε κατὰ γῆν) οὔτε κατὰ (θ)άλασσ(αν οὐδὲ πόλιν οὐδὲ φρού)ριον καταλήψομ(αι οὔτε λιμένα ἐπὶ πολέ)μωι οὐθενὸς τῶν τ(ῆς εἰρήνης κοινωνούντ)ων τέχν(η)ι οὐδεμι(ᾶι οὐδὲ μηχανῆι.*

4) Diod. 18. 56. 7. Arrian. 3. 23. 8. Dittenb. l.l. Schaefer 3. 57. ann. 2.

5) Diod. 18. 56 et Schaefer 3. 55. ann. 2.

6) Justin. 9. 5. 4. Diod. 16. 89. 3. *διατάξας δ' ἑκάστῃ πόλει τὸ πλῆθος τῶν εἰς συμμαχίαν στρατιωτῶν ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Μακεδονίαν.*

7) Paus. 7. 10. 10. *οὐδὲ ... Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος τοὺς ἀνθεστηκότας σφίσιν Ἑλλήνων ἐς Μακεδονίαν ἐβιάσαντο ἀποσταλῆναι, διδόναι δὲ αὐτοὺς ἐν Ἀμφικτύοσιν εἴων λόγον.* Demosth. 331. 29.

Corinthi, in arce Cadmea, Sicyone, Ambraciae et aliis in urbibus [1]).

Foederi injunctae sunt Cycladae insulae, Thasos, Samothrace et Tenedos, verosimiliter etiam Lesbos, Byzantium et Perinthus sese Philippo applicaverunt [2]). Quibus addendae sunt omnes gentes Graecae intra Thermopylas, Spartanis exceptis [3]). Non opus est dicere urbes, in oris Thracicis sitas, Philippo subjectas, neque magis Thessaliam hujus societatis participes non fuisse [4]).

Ex praecedentibus patet non admodum multa de societate illa aetatem tulisse, tamen ea quae nota sunt sufficiunt ad hanc rem demonstrandam, quod societas nostra eodem modo quo societas Atheniensium anni 378 nitebatur autonomia sociorum, quatenus libertas illa rebus societatis accommodari potest. Nam praeterquam quod variis locis apud antiquos scriptores dictum est Graecos libertatem suam non amisisse [5]), insuper haec res apparet e rebus a synedrio gestis. Philippus enim a sociis dux creatus est ad bellum gerendum contra Persas, ipsi socii bellum decreverunt, indicto autem bello, duci oboedirent necesse fuit. Sed si socius quis, etiamsi ipsi Macedones leges societatis migrabant, tum reliqui aderant ut vel ipsum regem in ordinem cogerent. Sic Demosthenes 217. 14 commemorat Athenienses classem centum navium ornasse, cui Menestheum praefecerunt, ut propellerent Tenedo Macedones, ubi classem suam contra foedus subduxerant. Praeterea nihil ad genus foederis refert, quod multae urbes vi armorum societati adjunctae sunt, nam aequo modo tam urbes captae quam urbes liberae, sponte sese societati alicui applicare a Graecis existimabantur. Qua de re dixit v. d. Busolt in libro laudato p. 657:

---

1) Strabo 428. Plut. Arat. 33. Diod. 17. 3. 3. et 4. 3. Diod. 18. 10. 2. Dittenb. 163. v. 12. et 16. cf. Schaefer 3. 52. ann. 4.

2) Niese 1. 39.

3) Justin. 9. 5. 3. Aelian. V. H. 6. 1. Arrian. 1. 1. 2.

4) Niese 1. 38.

5) Demosth. 213. 24. Polyb. 9. 33. 6. Schol. ad. Demosth. 255. 12.

„Freiwillig beigetreten war jede Stadt welche nicht mit „Sturm genommen war. Die Freiwilligkeit des Anschlusses „an einen Bund ist daher als Merkmal eines autonomen „Bundesstaates von mehr theoretischer als practischer „Bedeutung."

Ceterum facere non possumus quin assentiamur societatem Philippi explevisse omnes conditiones, quae societati liberae attribuendae sunt, quae hoc ordine describuntur a v°. d°. Busolt p. 658.

1. Ut fines sociorum integri sint.
2. Ut suis institutionibus fruantur socii.
3. Ut res suas, quae societatem non attingunt, ipsi administrent.
4. Ut iis decretis intersint quae de bello ac pace agunt, ut auctoritate sua valeant in rebus societatis administrandis.
5. Ut tributis vacui sint.
6. Ut sponte societati adjuncti sint.

Sed nihilominus Graecia Philippo subjecta erat [1]; auctoritate Philippus omnia quaecumque voluit assecutus est, nunc suadendo, nunc vi extorquendo [2], per speculatores instruebatur quidnam sibi faciendum esset [3]. Compendio id curavit ut factio politica sibi devincta in quaque urbe superior esset, res ad suam utilitatem administraret. Itaque per factiones sese in Graecia sustinuit, necessario alteram partem civium alterius detrimento auxit [4].

---

1) Schol. Demosth. 255. 12. ὅμως μέντοι ὑπακούειν αὐτῷ καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν. Aelian. V. H. 6. 1.

2) Demosth. 218. 10.

3) Demosth. 219. 25.

4) cf. ea quae scripsit Schaefer 3. 58 de hac re. Justin. 8. 1. 3. „dum „contentiones civitatium alit auxilium inferioribus ferendo, victor pariter „victoresque subire regiam servitutem coegit."

§ 11. De rebus politicis et de statu Macedoniae; rustici, vectigalia nobilitas. De ratione quae intercedebat inter regem et subjectos; de urbibus.

Conditio incolarum rusticorum Macedoniae tametsi Graeci habendi sunt [1]) antequam Philippus regnum iniit, et initio quoque regni Philippi, haud ita multum discrepabat a statu Illyriorum, Epirotarum et Thessalorum, qui omnes nobilitati obnoxii erant, sordidam vitam agebant. De quibus rusticis Arrianus 7. 9. 2 haec scripsit: *Φίλιππος γὰρ παραλαβὼν ὑμᾶς πλανήτας καὶ ἀπόρους, ἐν διφθέραις τοὺς πολλοὺς νέμοντας ἀνὰ τὰ ὄρη πρόβατα ὀλίγα καὶ ὑπὲρ τούτων κακῶς μαχομένους Ἰλλυριοῖς τε καὶ Τριβαλλοῖς καὶ τοῖς ὁμόροις Θρᾳξί, χλαμύδας μὲν ὑμῖν ἀντὶ τῶν διφθερῶν φορεῖν ἔδωκε, κατήγαγε δὲ ἐκ τῶν ὀρῶν ἐς τὰ πεδία, ἀξιομάχους καταστήσας τοῖς προσχώροις τῶν βαρβάρων ὡς μὴ χωρίων ἔτι ὀχυρότητι πιστεύοντας μᾶλλον ἢ τῇ οἰκείᾳ ἀρετῇ σώζεσθαι· πόλεών τε οἰκήτορας ἀπέφηνε καὶ νόμοις καὶ ἤθεσι χρηστοῖς ἐκόσμησεν, αὐτῶν δὲ ἐκείνων τῶν βαρβάρων, ὑφ' ὧν πρόσθεν ἤγεσθε καὶ ἐφέρεσθε αὐτοί τε καὶ τὰ ὑμέτερα, ἡγεμόνας κατέστησεν ἐκ δούλων καὶ ὑπηκόων.*

Simul cum cultura horum pastorum et agricolarum praecipue in regionibus Orientis etiam res eorum florescere coeperunt, adeo ut jam brevi post, sine magno suo damno stipendia facere possent in Philippi exercitu. Tametsi etiam in regionibus occidentalibus regni Philippi cives victum excultiorem sequi coeperunt, tamen hi, si comparantur cum Macedonibus regionum orientalium, magis rudes et agrestes manserunt, cujus rei causa maxima pro parte quaerenda est in natura locorum et statu coeli. Livius 45. 30 cum loquitur de incolis Macedoniae Superioris anni 167, de Eordaeis, Lyncestis, Pelagonibus Elimiotis, dicit: „frigida „haec omnis duraque cultu et aspera plaga est, cultorum „quoque ingenia terrae similia habet. Ferociores eos et

---

[1]) v. Herwerden Verslag. en Meded. d. Koninkl. Acad. van Wetensch. 1884. 1. p. 297.

„accolae barbari faciunt, nunc bello exercentes, nunc in „pace miscentes ritus suos."

Attamen inde a Philippi temporibus etiam his locis discrimen magnum fuit inter Macedones et rusticos finitimos Illyricos et Epirotas, neque spernenda res est, quod Strabo 326 i. f. dicit Macedoniam Superiorem, quae continetur Lyncestide, Pelagonia, Orestide et Elimea Μακεδονίαν ἐλευθέραν vocari, opponitque gentes illic sedes habentes, ut patet ex initio capitis 327, non reliquis Macedonibus, sed gentibus Epiroticis finitimis quae κουρᾷ καὶ διαλέκτῳ καὶ χλάμυδι καὶ ἄλλοις τοιούτοις χρῶνται παραπλησίως, quae hanc ob rem a nonullis scriptoribus etiam Macedones vocantur, nec tamen quantum apparet eadem libertate fruuntur. Non verodissimile est eam rem hoc velle, rusticos Macedonicos jam multo ante liberatos esse molesta dominatione divitum et nobilium principum, e statu clientelae medium tenente inter servitutem et libertatem, quo versabantur helotae Spartanorum, penestae Thessalorum, qui status antiquis temporibus sors communis omnium rusticorum fuerat [1]). Quantopere autem status rusticorum Macedoniae sub Philippi regno in melius versus sit, e loco Arriani supra citato satis apparet.

Nimirum juxta regem etiam domini praediorum certa jura retinuerunt. Operae factae sunt a rusticis Macedonicis usque ad annum 167 cum Macedonia imperio Romano injuncta est. Eo anno enim ut patet e Polybio 37. 9. 10 κοινῇ πάντες ἀπελύθησαν τῶν ἀρχικῶν ἐπιταγμάτων καὶ φόρων, καὶ μετέλαβον ἀπὸ δουλείας ὁμολογουμένης ἐλευθερίαν. Videlicet verba δουλεία ὁμολογουμένη non ad litteram interpretanda sunt, fieri non potest quin δουλεία spectet ab obsequium debitum, quod multum discrepat a vera servitute. Sed quocumque modo res se habet, fuerunt ἀρχικὰ ἐπιτάγματα, operae, quae verosimiliter non publice, sed privatim flagitabantur, quas non regi (tunc enim βασιλικὰ appellarentur) sed

---

1) Abel. 126.

principibus praestabant rustici; Arrianus quoque 1. 16. 5 de iis loquitur τῷ σώματι λειτουργίαι. Neque defuerunt gravissima tributa (φόροι).

De vectigalibus in Macedonia exactis, nonulla apparent e rebus gestis a Romanis, cum Macedonia eorum imperio adjecta est. Tunc enim Romani quatuor illis regionibus Macedoniae, in quas provinciam novam diviserunt, tributum annuum imposuerunt [1]) centum talentorum [2]), summam paullo minorem dimidio ejus, quam regibus ferre soliti erant. Itaque sub regibus aliquanto plus ducentis talentis quotannis persolvendum erat. Tributum autem Romanum fuit tributum soli [3]), cui accedebat in urbibus χειρωνάξιον, quod minus recte tributum capitis vocatur [4]). Sine dubio hujusmodi fuerunt vectigalia Macedonica sub regibus [5]). Quae tributa non recta via regi pendebant, sed per internuntios, ruri verosimiliter per ministros regis, in urbibus per redemptores. Nempe cum Livius 45. 29. 11 dicat: „Romani jubent tri„butum dimidium ejus quod pependissent regibus, pendere „populo Romano," et brevi post „vectigal exercentibus „dimidium ejus impositum quod pependissent regi," concludere licet officia eorum qui vectigalia exigebant eadem mansisse.

Quod autem vectigalia illa jam Philippi temporibus exercebantur, ex iis patet quae filius Alexander decreverit. Injuria quidem et nimis generaliter Justinus 11. 1. 10 dicit „Alexander Macedonibus immunitatem cunctarum rerum „praeter militiae vacationem dedit," quasi rex omnia vectigalia sustulisset. Arrianus 1. 16. 5 commemorat Alexandrum anno 334 propinquis Macedonum ad Granicum caesorum immunitatem dedisse vectigalium, quae ad solum pertinebant,

---

1) Diod. 13. 8. 2. Liv. 45. 18. 7. et 30. 1.
2) Plut. Aem. Paull. 28 cf. Marquardt 1. p. 317. 2. p. 195.
3) Mommsen R. G. 1. p. 768.
4) Marquardt 2. p. 199.
5) Arrian. 1. 16. 5. κατὰ τὰς κτήσεις ἑκάστων εἰσφοραί.

operarum et reliquorum tributorum. Jure vero vir doctus Schaefer (Demosth. 3. 71. ann. 1.) concludit Alexandrum postea hoc privilegium necessario dedisse propinquis universorum Macedonum acie caesorum.

Praeter vectigalia, rex etiam aliis reditibus fruebatur. Praedia regia et latifundia, sive agri sive metalla ei maximas opes praebuerunt.

Praecipua fuerunt metalla Pangaei, quae a Livio 45. 18. 3. vocantur „metallum Macedonicum," cum addat „quod ingens „vectigal erat." Eodem loco apparet vectigal illud locari, cui rei autem a Romanis anno 167 in breve tempus finis impositus est, cum locationem metallorum sustulerint.

Sed praeter haec magna bona regia praesto fuerunt, quae item locabantur. Romani autem anno 167, sicut eorum mos fuit, praedia illa pascua populi Romani declaraverunt, quam ob rem de iis mentio fit. Livius 45. 18. 3 ea appellat „praedia rustica quae locabantur." Cicero quoque leg. agr. 2. 19. 50 anno 63. a. C. n. commemorat „agros regios in „Macedonia, qui regis Philippi, sive Persae fuerunt, qui „item a censoribus locati sunt." Materia navalis, quam caedi vetuerunt Romani [1]), verosimiliter in praediis privatis inveniebatur, sub regibus haud negligenda pars mercaturae Macedonicae fuit.

Non dissimilis status Illyriae fuisse videtur. Illis quoque in regionibus vectigal a Romanis impositum est „dimidium „ejus quod regi pependissent" [2]).

Pars haud spernenda civium Macedoniae fuit nobilitas. Nulla autem in re a rusticis differebant, nisi quod majoribus divitiis fruebantur, libertas et aequabilitas juris omnibus concessa erat, universi enim Macedones fuerunt ἐλεύθεροι ἄνδρες [3]). Censu suo, qui eos ad equum rescribebat, nobiles illustriore loco in exercitu fuerunt quam pedites, a quibus

---

1) Liv. 45. 29. 14.

2) Liv. 45. 26. 14.

3) Lucian. Dial. Mort. 14. Droys. 1. 1. 73. Abel 124.

etiam nomine suo distinguebantur cum sive „ἑταῖροι" sive „ἱππεῖς" nominarentur, Justinus v. c. eos ubique „equites" appellat [1]). Reliqui stipendiarii fuerunt πεζέταιροι et levis armatura, a quibus tamen hetaeri non omnibus modis segregandi sunt. Nam Arrianus 1. 14. 2. commemorat τοὺς ὑπασπιστὰς τῶν ἑταίρων, fortasse ad eosdem spectans quos 1. 8. 4 nominat τοὺς ὑπασπιστὰς τοὺς βασιλικούς [2]).

Cum infra commemorandum sit, sodales hujus ordinis etiam in rebus politicis nobiliore loco fuisse, utpote participes concilii hetaerorum rebus majoris momenti interfuisse, hoc loco sufficiat tradere eos hanc ob rem jure nobiles vocatos esse, qui conditione haud dissimili fuerunt, qua fuerunt nobiles medii aevi [3]).

Sed homines nobilissima stirpe orti, immo saepe regis affines, inter hanc nobilitatem primum locum tenuerunt, quippe qui essent concilium regis, praecipuis officiis et muneribus fungerentur, in aula regia consuetudinem cum rege haberent. Livius 45. 32. 4 ad eos spectat, cum narret Romanos anno 167 hos omnes coegisse ut relicta Macedonia sedes in Italiam mutarent, sunt iidem de quibus dicit: „nominati sunt enim regis amici purpuratique, duces „exercituum praefecti navium aut praesidiorum, servire regi „humiliter, aliis superbe imperare adsueti; praedivites alii, „alii quos fortuna non aequarent, his sumptibus pares; regius „omnibus victus vestitusque, nulli civilis animus, neque „legum, neque libertatis aeque patiens [4])." Institutio quam Livius his locis tangit, pertinet ad τοὺς φίλους βασιλικούς, sodalitatem nobilissimorum hominum, qui tam in aula regia quam in castris regi praesto fuerunt, qui propter officia in castris quodammodo comparari possunt cum amicis, contubernalibus, cohorte praetoria posteriorum imperatorum

---

1) Arrian. 3. 27. 4; Curtius 6. 9. 2.
2) Arrian. 3. 13. 6; 5. 13. 4. cf. Abel 132.
3) Abel. 127.
4) cf. Liv. 30. 42. 6; 29. 32. 1; 44. 23. 2; 24. 9. cet.

Romanorum. Hominibus quibus fuit titulus „*φίλος βασιλικός*" hac ipsa re jus datum est ferendi chlamydem purpuream, unde nomen purpuratorum, obtegendi caput causia purpurea. Vestimenta autem illa purpurea in usum venerunt, iis temporibus cum Alexander in Perside habitum regium Persarum adsumpsit [1]). Nemini licuit ferre vestimenta purpurea nisi permissu regis sive vicarii ejus [2]).

Juxta illos purpuratos alia sodalitas quae constabat non minus illustribus nobilibus semper cum rege fuit. Sodales autem hujus collegii juvenes fuerunt, qui pueri regii sive *παῖδες βασιλικοί* nominabantur [3]). Hoc sodalitium, si fides habenda est Arriano 4. 13. 1, a Philippo II institutum est, tametsi patet jam sub ejus decessoribus vestigia hujus collegii adfuisse, Curtius saltem 8. 8. 3. de eo ut de more antiquissimo loquitur [4]). Pueri nobili genere in aulam regiam arcessebantur, ut muneribus suis regi utiles essent, cum ab altera parte hic eorum victui, educationi et eruditioni prospiceret. Fuerunt, ut Arrianus l.l. dicit filii *τῶν ἐν τέλει Μακεδόνων*, quamquam sub Alexandro etiam filii nobilitatis e regionibus subjectis, e Thracia exempli gratia regi praesto fuerunt [5]). Hi pueri regii virili aetate purpuram acceperunt, inter amicos regios adsciti sunt. Quod sequitur e verbis Curtii 8. 6. 6. cf. 5. 1. 42. „haec cohors velut „seminarium ducum praefectorumque apud Macedones fuit."

Pueri „adulti" essent, necesse fuit [6]), Arrianus 4. 13. 1 dicit *ἐς ἡλικίαν μειρακιούμενοι*, haud ita magnum discrimen igitur fuit inter eos et „vesticipes" Romanorum. Fuit collegium legibus legitime compositum. Praecipua eorum officia

---

1) Justin. 12. 3. 9.

2) Plut. Eum. 8. *καυσίας ἁλιουργεῖς καὶ χλαμύδας διανέμειν, ἥτις ἦν δωρεὰ βασιλικωτάτη παρὰ Μακεδόσιν.*

3) Liv. 45. 6. 7. Aelian. V. H. 14. 48.

4) cf. Val. Max. 3. 3 ext. 1.

5) Arrian. 4. 13. 4.

6) Curt. 8. 6. 2; 5. 1. 42.

quae Curtius [1]) complectitur verbis: „ad custodiam corporis, „ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia", haec fuerunt [2]). Regi in intimis et privatissimis rebus adfuerunt [3]), sacrificanti praesto erant [4]), excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus aedis in qua rex acquiescebat [5]), stabant ad fores aedis ejus in qua rex vescebatur [6]). Per hos pellices introducebantur alio aditu quam quem armati obsidebant [7]). Iidem acceptos ab agasonibus equos, quum rex adscensurus esset admovebant, comitabanturque et venantem et in proeliis [8]), quod postremum confirmatur a Livio 45. 6. 7. Sedentes cum rege vescebantur [9]). Castigandi verberibus eos nullius potestas praeter ipsum regem erat, qui eodem modo eos parvis praemiis honorabat [10]). Ceterum in universo rex sese severe in eos gessit [11]), variis occasionibus poenis affliguntur [12]).

Curtius etiam commemorat regem eorum educationi providisse (8. 6. 4. „omnibus artibus studiorum exculti"), quod insuper ex hac re apparet, quod Alexander inde ab eo tempore quo pueri regii in castris aderant, quod factum est exeunte anno 331, Callistheni philosopho praecepit ut eos institueret ad omne officii munus [13]).

Aliud institutum quod commemoratur temporibus Alexandri Magni et fratris ejus Philippi Tertii, sine dubio jam antea extitit, fuit collegium illud septem procerum σωματοφυλάκων,

---

1) Curt. 8. 6. 2; 5. 1. 42.
2) cf. Liv. 45. 6. 7.
3) Arrian. 4. 13. 1.
4) Val. Max. 3. 3. ext. 1.
5) Curt. 8. 6. 2. Arrian. l.l.
6) Curt 8. 6. 12.
7) Curt. 8. 6. 2 et 3.
8) Ibid.
9) Ibid.
10) Curt. 8. 6. 19.
11) Aelian. V. H. 14. 48.
12) Curt. 8. 6. 7.
13) Arrian. 4. 14. 1.

qui consuetudinem quotidianam cum rege habebant. Nomina clarissima custodum Alexandri, demonstrant quam honorificum hoc munus fuerit [1]).

Quod ad ipsum regnum attinet, regia potestas magna quidem fuit, nec tamen eodem modo indefinita, quo in monarchia absoluta, sed legibus circumscripta. Summus est rex inter cives aeque liberos. Nullus cultus servilis a Macedonibus toleratur [2]), sola caeremonia fuit quod liber Macedo capite nudato regem alloquebatur [3]). Sed is, qui novum regem primum salutaverit magno honore habitus est, ut Alexander Lyncestis, cui rex Alexander, tametsi caedis Philippi conscius fuit, pepercit, servans in eo auspicium dignitatis suae [4]).

Sed quamvis Callisthenes apud Arrianum 4. 11. 6 dixerit *οὐ βίᾳ, ἀλλὰ νόμῳ Μακεδόνων ἄρχοντες διετέλεσαν*, tamen nulla ex legibus illis, magna pro parte a Philippo datis, aetatem tulit.

Milites in exercitu regionatim divisi erant, quae res nos eo adducit ut conjiciamus reliquas administrationes eodem modo institutas esse. Cohortes (*τάξεις*) pezetaerorum principio quidem etiam in Alexandri exercitu regionatim formatae erant: adfuerunt cohortes ex Elimiotide, ex Orestide e Lyncestide etc.; non alio modo octo ilae equitum secundum regiones Macedoniae nominabantur [5]).

Non opus est memorare jus dici in rebus privatis nomine regis, judices autem privatos huic rei a rege institutos esse: nomen *σκοῖδος* apud Hesychium commemoratum significat *ἀρχὴν παρὰ Μακεδόσι τεταγμένην ἐπὶ τῶν δικαστηρίων* [6]); neque magis dubium est quin jus diceretur, cum in urbibus, tum ruri et in vicis, quin ager Macedonicus hanc ob rem in regiones divisus esset.

Attamen ipsi regi munus maximi momenti in jurisdictione

---

1) Arrian. 6 28. 4; Arr. exc. § 38.
2) Arrian. 4. 10—12. Justin. 12. 7. 1.
3) Curt 9. 2. 4.
4) Justin. 11. 2 2. Arrian. 1. 25. 2. Curt. 7. 1. 6.
5) Arrian. 3. 16. 11. Curt. 5. 2. 6. Droys. 1. 1. 168 et 171. Abel 132.
6) cf. Droysen 1. 1. 73 ann. 4.

privata reservatum erat, Macedonibus enim jus provocationis ad regem datum erat. Civis qui provocaret ipse regem adiret oportuit, res ferebat ut rex certis temporibus aditum ad se daret quo libelli a supplicibus ei tradi possent, cuivis civi e quavis parte regni eum tunc adire licuit; sin autem copiam rex non daret, tunc tempus observandum erat quo rex in publicum prodiret, ut ei hoc modo libelli traderentur. Ad hanc rem pertinet Plutarchi narratio de modo quo Demetrius Poliorcetes, cum rex Macedoniae factus esset, hanc rem neglexerit. Cum aliquando in publicum provectus esset, multi libelli ei traditi sunt, quos accepit quidem, sed taedio ductus in Axium dejecit [1]. Plutarchus eodem loco hanc rem distincte ut partem jurisdictionis regi commissam nominat. Comitas et facilis aditus quem Philippus II hac imprimis in re civibus suis praestitit, ei amorem populi paraverunt [2].

De jurisdictione in rebus capitalibus hoc saltem nobis apparet, quod neque ea in re regi agere licuit utcumque sibi placuit. Exempla praesto sunt homines illustres gravissimi criminis accusatos a rege in jus vocatos et in noxa esse compertos, nec tamen ab eo damnatos, sed in conventum civium abductos esse. Si tamen hoc in conventu quoque culpa reorum manifesta fiebat, tum in ipsa contione lapidibus obruti more patrio a civibus suis interficiebantur [3]. Actio contra Philotam clarissimum hujus rei exemplum est [4]. Vel culpae socii ut Alexander Lyncestis et Parmenio a rege non damnantur, nisi audita concione civium, cum alii a plebe absolvantur [5]. Multa autem exempla hujus generis jurisdictionis aetatem tulerunt [6].

---

1) Plut. Demetr. 42.

2) Ibid.

3) Curt. 7. 2. 1; 6. 11. 38.

4) Curt. 6. 8. 23. Arrian. 3. 26. 3.

5) Diod 17. 80. 1. et 2. Curtius 7. 1. 5; 7. 2. 7.

6) Diod. 18. 37. 2. Arrian. 4. 14. 3. Curt. 6. 9. 24. Nepos Eumen. 5. 1. Polyb. 5. 27. 5; 5. 29. 6.

Nec tamen haec res impedimento fuit, quominus saepenumero sanguis adversariorum, imprimis affinium a regibus effusus sit, suo marte, sine ullo civium consensu; sed tunc potius de caede quam de poena cogitandum est, non jurisdictione sed vi comprehenduntur.

Actiones supra memoratae in castris habitae sunt, milites illic praesentes civium vice funguntur [1]), in ipsa Macedonia autem, contio civium nimirum hoc munere fungebatur.

Non dubium est quin in Macedonia, in urbe capitali Pella a rege varias ob causas contiones plebis habitae sint. Verosimiliter concio plebis composita erat civibus adultis, qui militiae munere fungebantur, vel perfuncti erant, et omnibus civibus qui ad hanc rem in urbem convenissent aditus in contionem patuit. Vestigia hujusmodi contionum in ipsa Macedonia, in quibus rex verba fecerit coram populo, quamvis rara sint, tamen aetatem tulerunt [2]). Ceterum magna pro parte regnum civile cum imperio militari confusum est.

Summam rem non penes contiones plebis fuisse res ipsa fert. Cum Romani anno 167 in quatuor regionibus, in quas Macedonia ab iis divisa est, singulas contiones plebis et senatus (*συνέδριον*) constituissent [3]), quibus summam rem committerent, dissensiones ortae sunt, de qua re Polybius dicit id non mirum esse, cum Macedones *ἀηθεῖς δημοκρατικῆς καὶ συνεδριακῆς πολιτείας* essent [4]).

Nec tamen idcirco regi soli summa res commissa erat. Primum concilium quod consulebant, fuit conventus amicorum et purpuratorum, porro fuit synedrium universae nobilitatis, hetaerorum sive equitum, cui res maximi momenti deliberandae deferebantur [5]). Variae res fuerunt quae decerni

---

1) cf. Diod. 18. 4. 3. ubi dicitur de exercitu *τὸ κοινὸν τῶν Μακεδόνων πλῆθος* cf. Justin. 12. 3. 2; 12. 11. 1.

2) Diod. 16. 3. 1; 17. 2. 2.

3) Liv. 45. 32.

4) Polyb. 31. 12. 12.

5) Justin. 13. 2. 4; 4. 2; 33. 1. 4. Diod. 18. 2. 2. Arrian. 1. 25. 4; 2. 25. 2.

non potuerunt nisi hujus concilii auctoritate, bellum exempli gratia indici non potuit, nisi comprobante nobilitate [1]), pactiones ab ea firmandae erant [2]), crimen perduellionis ab ea judicabatur [3]), post Alexandri mortem consuluit de successione regni [4]).

Postremo loco in rebus maximi momenti contio plebis nonnumquam convocata est, ut confirmaret decreta nobilitatis [5]), eam consuli in rebus capitalibus jam supra dictum est.

Ex praecedentibus apparet regem in Macedonia potentissimum quidem fuisse, voluntatem ejus maxime valuisse, ipsum regimen e rege pependisse, tamen fuit regnum legitimum, obstrictum certis rationibus et conditionibus, fuit regnum militare in quo ratio quae inter regem et subjectos intercedebat legibus fixa erat.

Philippum multas urbes cepisse regnoque suo adjunxisse jam supra traditum est. Inde ab origine urbes in ipsa Macedonia admodum rarae, et nullius momenti fuerunt, latifundia enim, praedia magna quae nobiles possessione tenebant (supra p. 47) sine dubio impedimento fuerunt quominus urbes crescerent et florescerent. Sed ipse Philippus quantum potuit id agebat ut vires regni firmaret colligendo rusticos et pastores in urbes, quas ipse aut condidit aut confirmavit et auxit. Sic Heraclea Lyncestis Philippo adscribenda est (p. 7) eodem modo quo altera Heraclea nempe Sintica; rex Pelium quoque firmavit. Pella jam antiquitus praecipua urbs Macedoniae [6]) ubi Philippus educatus est, hujus auspiciis demum crescere coepit [7]). Secundum v.^{m} cl.^{m} van Herwerden in medio relinquendum est

---

1) Justin. 33. 1. 4.
2) Arrian. 2. 25. 2.
3) Arr. 1. 25. 4.
4) Diod. 18. 2. 2.
5) Diod. 18. 4. 3.
6) Xenoph. Hell. 5. 2. 13.
7) Strabo 330. 20.

utrum Philippus illuc sedes regni transportaverit, an jam sub Archelao factum sit[1]), hoc sane constat urbem sub hujus regno admodum floruisse et ita crevisse ut ex parvo loco urbs facta sit haud negligendi momenti. Demosthenes enim 247. 17 de Pella eorum temporum cum Philippus puer ibi educabatur, loquitur ut de χωρίῳ ἀδόξῳ τότε γε ὄντι καὶ μικρῷ, opponit que mea quidem sententia per illud τότε γε urbem florentem aetatis suae pristino oppido.

Consentaneum est suspicari administrationem et instituta illarum urbium Macedonicarum non ita multum discrepuisse ab institutis Amphipolidis, ut supra (p. 21) describere conati sumus; concionem plebis cum prostatis illis administrationi rerum ad urbem ipsam pertinentium praefuisse, ceterum cives utpote Macedones subjectos fuisse legibus regni, urbes ipsas autem eodem loco habendas esse quo postea municipia Romanorum.

---

§ 12. De imperio Macedonico a Philippo in Europa aucto.

Hoc fere fuit regnum Macedonicum ut a Philippo auctum et firmatum est. Fines autem ipsius Macedoniae, earum regionum quae ab ipso rege secundum leges et institutiones Macedonum reguntur, non admodum auctae sunt. Agri urbium Graecarum, quae sitae erant inter ora Penei et Nesti fluminum, paeninsula Chalcidice Macedonica facta sunt, perinde ac pars meridionalis Illyriae, Tymphaea et Paravaea, provinciae Epiroticae, Maedorum agri.

Sed imperium Macedonicum, ut hoc nomine amplectar omnes regiones Philippo aliquo modo obnoxias, tantum non tota paeninsula a Meridie Danuvii fluminis continebatur. Scythae enim a Meridie hujus fluminus adhuc sese in libertatem vindicaverunt, Illyrii ultra Scodram urbem nullo

---

[1]) Verslagen en Meded. der Kon. Acad. 1884. 1. p. 298.

foedere Macedoniae juncti erant, sed Triballi, Autariatae, Dardani, Paeones et reliqui barbari Septentrionis ad flumen Istrum usque[1]) foederis nomine cum rege conjuncti principatum ejus agnoverunt. In Thracia et in oris maritimis maris Thracici, in Chersonneso sese sustinuit in urbibus aut illis locis conditis, aut vi subjectis, magnam partem agri Thracici nobilibus Macedonibus dono dederat, ita ut universa regio ei eo usque subjecta esset, ut pro provincia Macedonica habenda sit. Urbes remotissimae ad Pontum Euxinum sitae, Odessus et Apollonia, Getarum gens, perinde ac Byzantium foedere aequo cum Philippo conjunctae quidem erant, ceterum ab omni parte liberae manserunt. Haud contemnenda pars Illyriae ad Scodram usque societatem cum eo iniit, matrimonio suo cum Olympiade auctoritate valuit in Epiro, cum Thessalia tetrarcharum auspiciis administrata provinciae Macedonicae instar esset. Postremo ipsa Graecia et insulae synedrio Corinthi conjunctae, specie foederis aequi revera principatum ejus agnoverunt, ei in omni re dicto oboedientes fuerunt.

---

[1]) Polyb. 1. 2. 4.

CAPUT II.

De Imperio ab Alexandro constituto et de Perdicca gubernatore imperii ad annum 321.

§ 1. De Imperio ab Alexandro in Europa confirmato.

Regnum tot laboribus a Philippo confirmatum, statim post mortem ejus anno 336 omnibus modis perturbatum est. Sed prosperis expeditionibus gentes septentrionales Philippo jam subjectae, ab Alexandro in ordinem coactae sunt [1]), Thracibus in Haemo monte profligatis, Triballorum rex Syrmos, cujus regnum ad Danuvium usque sese extendisse videtur [2]), principatum Macedoniae agnoscere et milites dare coactus est [3]), neque minus reliquae gentes cis Danuvium habitantes, legatos misere, et foedus cum rege iniere [4]), qui eodem tenore Getas quoque trans flumen sedes habentes profligavit, nec tamen sibi subjecit [5]), Danuvius flumen igitur terminus imperii habendus est [6]). Etiam Galli montes

1) Strabo 316 init.
2) Schaefer 3. 106 ann. 2.
3) Curtius 9. 6. 20. Diod. 17. 17. 4.
4) Arrian. 1. 4. 6.
5) Arrian. 1. 4. 5.
6) Polyb. 1. 2. 4.

a parte Hadriatici maris habitantes amicitiam cum Alexandro iniere [1]).

Tum per Agrianos et Paeones iter direxit in Illyrios, qui sub Clito rege et adjuti a Glaucia Taulantinorum principe a Macedonia defecerunt. Illyrii ad Pelium oppidum profligati et rejecti sunt, Clitus ad Glauciam perfugit. Suspicandum est regnum Macedonicum hoc bello a parte Illyriae auctum et firmatum esse, ipsi Clito autem, eodem modo quo Glauciae occasionem datam esse, foedus aequum cum Alexandro inire. Milites enim Illyrici, tametsi Diodorus 17. 17. 4 eos commemorat, secundum Droysen 1. 1. 132 in Alexandri exercitu non inveniuntur. Quae res autem hoc modo explicanda est. Ii Illyrii qui Macedoniae non adjecti sunt, foedus aequum cum Macedonum rege inierunt, neque milites ad Alexandri exercitum miserunt. Illyrii autem a Diodoro commemorati sedes habuerunt in parte meridionali Macedoniae adjecta, qui milites, licet Macedones essent, perperam a nostro Illyrii vocantur.

Quod autem pars Meridionalis Illyriae, et regiones circa lacum Lychnitidem aut nunc, aut antea regno Macedonico adjectae fuerunt, ex sequentibus patet.

Constat bello Illyrico confecto, ipsi Alexandro nullam copiam fuisse persequendi hostes, regemque, cum res Graeciae eum illuc vocarent, quam celerrimis itineribus ad sedandas turbas Meridiem versus contendisse [2]), idcirco persecutionem Illyriorum factam esse a regiis amicis τοῖς ἀμφὶ Ἀλέξανδρον, ut Arrianus loco laudato narrat. Haec quoque res constat, Alexandrum dum ipse expeditiones fecit contra finitimos barbaros, res Macedoniae Antipatro commisisse [3]), hunc autem fines Macedonicos a parte Illyriae firmavisse, ut testantur duo oppida Antipatria nomine alterum a Sep-

---

1) Strabo 301; Arrian. 1. 4. 7.
2) Arrian. 1. 7. 5.
3) Droysen. 1. 1. 119. Dinarchus 1. § 18.

tentrione lacus Lychnitidis in Pyrenaeo monte situm [1]), alterum ad Apsum fluvium [2]), mea quidem sententia jam initio regni Alexandri etiam ab Antipatro conditum.

Vulgo tamen suspicantur hoc oppidum a Cassandro conditum esse, quo gentes Occidentales Illyriae cohiberet [3]), sed ratio docet Antipatrum, postquam Illyrios ad Taulantinos usque rejecit, fines Macedoniae ab hac parte firmavisse, idque condendo Antipatriam peropportune sitam [4]); cum insuper ipsum nomen Antipatrum ut conditorem indicet.

Hoc quoque obstat opinioni virorum doctorum, qui Antipatriam Cassandro attribuunt, quod, si Cassander urbem condiderit, id necessario fecerit annis 314, 313 sive 312, in expeditione contra Illyrios, cum Epidamnum et Apolloniam aliquantisper occupata haberet. Sed priore parte hujus belli magno cum successu rem gessit [5]); seque sustinuit Apolloniae et Epidamni, itaque alteram urbem conderet non necesse fuit. Tertio anno autem [6]), postquam repentine pulsus fugatusque est, nulla copia ei fuit condendi urbem. Immo, hoc anno ipsa Antipatria ei sine dubio tutissimo refugio fuit.

Aliud documentum hujus rei, nempe quod regnum Macedonicum ab hac parte firmata est ante Cassandri principatum, est quod Euia, de cujus loci situ nihil constat nisi quod situs erat in regionibus Dassaretiae circa lacum Lychnitidem [7]), jam anno 317, itaque ante Cassandri in Illyriam expeditiones, Macedonica fuit [8]).

---

1) Demitsas. 2. 631. Ἐκ τούτων δὲ ἡ μὲν πρώτη Ἀντιπατρία νομίζω ὅτι εἶναι κτίσμα τοῦ Ἀντιπάτρου τοῦ νικήσαντος τοὺς Ἰλλυρίους κτίσαντος αὐτὴν ἐπὶ τῶν ὁρῶν τῆς Δασσαρήτιδος ὡς προπύργιον κατὰ τῶν ἐπιδρομῶν τῶν φιλοπολέμων Ἰλλυριῶν cet. cf. Palmer 210.

2) Demitsas. 2. 724. Liv. 31. 27.

3) Demitsas. 1.1

4) Ibid.

5) Droys. 2. 2. 23.

6) Droys. 2. 2. 37.

7) Demitsas. 2. 635 ann. 1.

8) Diod. 19. 11. 2. ἀκούων οὖν Εὐριδίκην ἐν Εὐίοις τῆς Μακεδονίας οὖσαν. cf. Numismatic Chronicle 1880 p. 275. Dassaretia (Demits. 1. 96) ulterius

Pacata Illyria Alexander res Graeciae eadem ratione fere confirmavit qua pater ejus, Thebas reliquorum Graecorum jussu diruit, Ambraciam in libertatem restituit[1]), in Macedoniam rediit ut expeditionem in Asiam pararet.

---

§ 2. De Imperio in Asia et de juribus regis.

Hac ipsa expeditione magna pars Asiae imperio Macedonico adjuncta est. Non refert hoc loco describere bella illis locis gesta, neque magis nunc nobis curae est quo ordine variae provinciae occupatae sint, quibus annis singulae res gestae sint, numerus, nomina, situs et fines provinciarum, neque magis nomina diversorum praetorum, reliquorumque magistratuum quibus Alexander res commiserit, cum haec omnia pertineant ad elaboratam historiam expeditionum Alexandri, jam antea copiose et accurate ab optimis rerum scriptoribus descriptam; nobis hoc loco tantum res est cum genere administrationis regni, investigare conemur oportet, quamdiu steterint Alexandri institutiones.

Regnum Macedonicum in Asia confirmatum est intra annos 334—325. Anno 334 primae provinciae in Asia

---

in Septentrionem porrigitur quam indicat mappa v[1] d[1] Kiepert. Pelium enim in Dassaretia situm esse plane dicit Liv. 31. 40. 3, quod autem non patet ex mappa nostra. Strabo 316. Demitsas. 2. 596 et 640 autem sic describit situm Dassaretiae: *οἱ μὲν Δασσαρῖται κατεῖχον ὅλον τὸ λεκανοπέδιον τῆς Λυχνίτιδος λίμνης ἐκτεινόμενοι πρὸς μεσημβρίαν μὲν μέχρι τῆς Κορίτσας ἐν τῇ περιοχῇ τῆς ὁποίας ἔκειτο τὸ Πήλιον, πρὸς ἄρκτον δὲ μέχρι τῆς κοιλάδος τοῦ Δρείλωνος ποτάμου* cf. Polyb. 5. 108.

[1]) „Ich denke es war Alexander Ernst mit dieser Erklärung. Die makedonische Besatzung zu Ambrakia ward sicherlich von den Molottern nicht gern gesehen, und Alexander von Epirus mochte seinem Neffen anliegen ihm die wichtige Stadt zu überlassen. Aber das Emporkommen des molottischen Fürstentums zu einer selbständigen Bedeutung sagte Alexander ebensowenig zu als es in Philipps Plänen gelegen hatte: darum liess er sich gern gefallen dass Ambrakia wieder eine freie Stadt wurde." Schaefer Dem. 3. 95.

Minore imperio adjunctae sunt; inde ab hoc anno pars Asiatica imperii Macedonici exstitit, cui deinceps novae regiones adjunctae sunt, neque crescere desiit, antequam Alexander anno 325 in Indiam penetravit, ubi Babylonem reverti constituit. Aliorum quoque magnorum consiliorum regis, ad Libyam spectantium memoria aetatem tulit quidem [1]), nec tamen patet regem quicquam eorum exsecutum esse, adeo ut dici possit anno 325 magnum illud imperium constitutum fuisse, cui tamen Alexander post reditum suum in Babylonem, non multo plus anno praefuit.

Neque magis quam uno puncto temporis variae illae regiones in unum conjunctae sunt, imperium Alexandri repentino casu dissolutum est. Finis enim imperii Macedonici in Asia, (si quidem spectamus ad dominationem regum Macedonicorum) praeparatus est dissolutione diversarum partium. Historia copiose memoriae prodidit res gestas praetorum Alexandri post regis mortem; quarum praecipuae quantum pertinent ad historiam imperii in iis quae sequuntur haud negligendae erunt. Docent enim quaenam fuerint personae, quae post Alexandri mortem potestatem ejus hereditate acquisiverint, vel sibi vindicaverint; quinam iis adversati sint, et quonam eventu; quinam sibi nova regna comparaverint et quando id fecerint. Hae omnes res vulgo narrandae sunt, si quis sibi proposuerit describere interitum imperii Macedonici. Attamen quaestio quamdiu imperium steterit post Alexandri mortem, singulis in partibus nondum dissoluta est conspectu rerum quae a Diadochis, quos dicunt, gestae sunt, et earum quae iis acciderunt.

Ad hanc rem dispescendam nobiscum reputemus oportet, quibus rebus niteretur principatus regum Macedoniae, quae res arcte cohaeret cum quaestione quale fuerit genus magistratuum, quos Alexander singulis partibus praefecit.

De modo quo dominatio Macedonica in Asia firmata sit, in universo dici potest Alexandrum sese gessisse tamquam

---

[1]) Diod. 18. 4. 4.

successorem regum Persarum, regimenque Macedonicum, quod in Asia constituit, summatim non alio genere fuisse, quam ante eum fuerit regimen Persicum.

Imprimis hoc principium ab Alexandro non violatum est, quod regi non recta via, sed per satrapas res administrandae erant; imperium ab eo non redactum est in civitatem uniformem, cui ipse dominaretur, sed peculiares formae et condiciones ad singula loca et regiones pertinentes, dum ipse rex fuit, integrae manserunt, custodia hujus rei satrapis commissa est; perinde ac reges Persarum, secundum hoc principium regnabat, quod regi tantum jura quaedam principatus exercenda essent, quo factum est, ut ipse cum centrum imperii, tum vinculum quod diversas partes conjungeret, factus sit.

Sed conditiones illae singulorum locorum eorum institutiones dumtaxat pertinent ad historiam diversarum provinciarum, quam ob rem hoc loco omittendae sunt. Quodsi contemplamur imperium, nostra tantum interest, quibus legibus, quo jure summa totius administrata sit.

Neque jura quae Alexander sibi reservavit, multum discrepabant ab iis quibus ante eum reges Persarum usi erant. Ex iis quae ex ultimo rege Persarum Dario in Alexandrum utpote principem imperii Macedonici jure usurpationis transierunt, enumeranda sunt:

1⁰. Jus creandi et abrogandi magistratus regios, imprimis satrapas.

2⁰. Jus imperandi satrapis et reliquis magistratibus, qui diversis provinciis praepositi sunt, jus flagitandi ut oboedirent omnibus edictis et jussis regis, sigillo regio ornatis.

3⁰. Jus disponendi vires militares provinciarum, eas conjungendi in unum regium exercitum, vel utendi singulis partibus ad diversa bella gerenda.

4⁰. Jus vectigalia exigendi in provinciis.

5⁰. Possessio bonorum regiorum quae in provinciis sita erant, eorum ususfructus.

Perspicuum est post Alexandri mortem haec eadem jura principatus non minus valuisse, quam vivo eo; provincia cujus praeses his legibus obnoxius esset, qui, si quando iis adversaretur, poenis affligeretur, et cogi posset ut eas agnosceret, haec sine dubio pars regni habenda est, quamvis potens et liber satrapes aliis in rebus fuerit; sed provincia in qua jura illa non amplius exerceri potuerunt, tamquam ab imperio dissoluta habenda est.

Statim postquam nulla amplius provincia fuit in qua valerent, neque amplius nomine regum Macedonicorum a ministris legitimis, penes quos fuit regia potestas, sustineri potuerunt, id quod imperii Macedonici in Asia reliquum erat exstinctum est, ipsum imperium interiit.

---

§ 3. De Magistratibus. De Satrapis. De coloniis Graecis in Asia. De praediis et possessionibus regis. De thesauris.

Primo loco nominandi sunt aliquot magistratus a rege instituti ad imperium administrandum.

Vivo Alexandro, rex ipse fuit centrum imperii. Quantum traditum est, sub regno ejus unus dumtaxat magistratus videtur fuisse, qui perinde ac rex ad universum imperium pertinuit. Hic autem magistratus fuit chiliarchus. Nobilibus stipendiariis Macedonibus, equitibus sive hetaeris (cf. supra pag. 49) antiquitus praefuit summus dux, sive hipparchus. Alexander anno 330 exemplo regum Persarum ductus instituit ut hipparchus chiliarchi titulo, gradu regi proximo in regno esset, Hephaestionemque eo honore affecit[1]). Chiliarchus praefectus equitum Macedonicorum mansit, qua in

---

[1]) Nepos Conon. 3. 2. „Chiliarchus, qui secundum gradum imperii „tenebat (scil. apud Persas)." Diod. 18. 48. 5. *ἡ δὲ τοῦ χιλιάρχου τάξις καὶ προαγωγὴ τὸ μὲν πρῶτον ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων εἰς ὄνομα καὶ δόξαν προήχθη· μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ὑπ' Ἀλεξάνδρου μεγάλης ἔτυχεν ἐξουσίας καὶ τιμῆς, ὥστε καὶ τῶν ἄλλων τῶν Περσικῶν νομίμων ζηλωτὴς ἐγένετο.*

re cum hipparcho congruit[1]), sed eodem tempore ut videtur, summus dux fuit exercitus universi imperii, quod officium effecit ut omnes satrapas et praetores potestate et dignitate anteiret, primus fuerit omnium magistratuum sub rege. Etiam antea fuit summus hipparchus hetaerorum, Parmenionis filius Philotas usque ad mortem anno 330 hoc munere functus est[2]).

Neque illud officium parvi momenti fuit: summum munus militare in castris, secundum ipsum ducem[3]).

Distinguendum rursus est ab hipparchis singularum hipparchiarum, quibus Perdiccas aliique interfuerunt[4]).

Sed minime confundendum est cum chiliarchatu. Si hipparchus chiliarchi titulum accepit, tum summa potestate praeditus erat. Post Hephaestionis mortem chiliarchi titulus et dignitas non amplius ab Alexandro in quemquam collata est[5]).

Quod ad administrationem rerum civilium imperii attinet, haud perinde ac in rebus militaribus magistratus praesto fuit cui, cum regi proximo gradu dignitatis esset, universa res commissa esset, attamen jam sub Alexandri regno nobis unum exemplum praesto est, et id post ejus mortem paullo crebrius factum est, supra praetores aliquot provinciarum alium magistratum positum esse, majore potestate praeditum, cujus auspiciis praetores illi res suas administrarent, eodem titulo praetorio quidem, sed cum additamento „αὐτοκρατώρ". Cujus rei exemplum in Europa nobis obvium est. Thracia enim a suo praetore regebatur; Alexander Lyncesta[6]) et post eum Memnon nobis noti sunt, qui anno 330

---

1) Arrian. 7. 14. 10. χιλίαρχον ἐπὶ τῇ ἵππῳ τῇ ἑταιρικῇ Ἀλέξανδρος.

2) Arrian. 1. 24. 3. τῶν ἑταίρων ἱππαρχίαν.

3) Diod. 18. 3. 4. τὴν ἱππαρχίαν τῶν ἑταίρων οὖσαν ἐπιφανεστάτην. De eadem re, nempe de creatione Seleuci Justin. 13. 4. 17. dicit: „summus castrorum tribunatus," spectans ad hipparchatum, non ad chiliarchatum.

4) Arrian. 5. 12. 2; 5. 22. 6; 6. 6. 4 et 6.

5) Arrian. 7. 14. 10.

6) Arrian. 1. 25. 3. Droysen 1. 1. 118 ann. 1.

Antipatro inimicus vel bellum cum eo gessit, pacem autem restituit[1]), et anno 326 cum supplementis ad Alexandrum in Indiam pervenit[2]). Oris autem maritimis Ponti Euxini occidentalibus et septentrionalibus, quae regio interdum Thracia vocatur, vivo Alexandro Zopyrion praefectus erat[3]). Nihilominus Antipatro universa praetura totius Europae, ergo earum quoque regionum, anno 336 commissa erat[4]), cum eodem tempore auctoritatem regiam exerceret èt in regnis e Macedonia pendentibus, ut in Illyria, Epiro cet. quibus gentibus tamen non admodum acceptus erat[5]), èt in provinciis Memnonis et Zopyrionis, ex qua re dissensiones illae cum Memnone ortae sunt. Major autem hujus potestas jam sub Alexander apparuit ex ipso titulo „*στρατηγὸς αὐτοκρατώρ*"[6]).

Status et munus satraparum sub Alexandro magnam partem magis circumscriptum erat, quam sub praecessoribus ejus Persicis. Sub Alexandro nihil iis competiit nisi administratio rerum civilium provinciae suae; administratio aerarii ad eos non pertinebat, neque jus percutiendi nummos iis concessum erat, res militaris eos non attingebat[7]). Non satrapae, sed alii praetores militibus provinciae vulgo vernaculis praepositi erant, aliis in provinciis *ἐπίσκοποι* nominantur, in aliis autem *στρατηγοί*. Fuerunt etiam provinciae ubi res militaris inter plures praetores divisa erat. Excep-

---

1) Diod. 17. 62. 5. et 17. 63. 1. Droysen 1. 1. 393 ann. 1.

2) Curtius 9. 3. 21. Droys. 1. 2. 171 ann. 2.

3) Justin. 12. 2. 16. Curtius 10. 1. 43. „Thraciae praepositus."

4) Arrian. 1. 7. 6; 1. 11. 3; 3. 16. 10; Justin. 11. 7. 1. Diod. 17. 17. 5. 17. 118. 1; Arrian. Exc. § 3. *Ἀντίπατρον στρατηγὸν εἶναι τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην.* Dexippus fr. 1.

5) cf. Justin. 12. 14. 4.

6) Dexipp. fr. 1. (Müller, F. H. G. 3. p. 668) *Αντίπατρος* (a°. 323) *ἐπὶ πᾶσι Μακεδόσι καὶ Ἕλλησι, καὶ Ἰλλυρίοις καὶ Τριβαλλοῖς καὶ Ἀγριᾶσι, καὶ ὅσα τῆς Ἠπείρου ἐξέτι Ἀλεξάνδρου στρατηγὸς αὐτοκράτωρ ἐτέτακτο.*

7) cf. A. von Gutschmidt. Geschichte Irans und seiner Nachbarländer, mit Vorwort von Th. Nöldeke. Tübingen, 1888. p. 6—8 cf. etiam Droysen 2. 1. p. 22 et 91.

tiones quae aetatem tulerunt quod contra legem satrapae militibus provinciae suae praefuerunt, non nisi specie praesto sunt, legemque confirmant; nam ubicumque hoc accidit, idem vir duobus titulis ornabatur, praetoria dignitas ei una cum satrapia commissa erat [1]).

Alexander in regionibus recens captis non ubique administrationem rerum civilium statim Macedonibus dare ausus est; in nonnullis provinciis Persas satrapas constituit, vel etiam in aliis summam rem regulo indigenae commisit; si tali viro ob unam alteramve causam successor designandus erat, tunc vulgo Persa aliquis huic muneri destinabatur; sin autem tertio novus satrapes creandus erat, tunc Macedo eligebatur, numquam Persa successit Macedoni.

Morte Alexandri duo tantum reguli indigenae superfuerunt, qui satraparum vice fungebantur, nempe Taxiles et Porus; tres Persae (Oxyartes in Paropamisade, Phrataphernes in Parthia et Hyrcania, Atropates in Media [2]). Sed strategi et episcopi qui in singulis provinciis exercitui praeerant, semper Macedones fuerunt.

Res ad aerarium publicum pertinentes non semper eodem modo constitutae erant; fuerunt provinciae quibus suus quaestor praesto erat *ἐπὶ τῶν φόρων τῇ συλλογῇ*, aliis in regionibus duae provinciae ab uno quaestore administrabantur [3]), interdum plures quaestores munere suo fungebantur in una eademque provincia. Hi magistratus nominantur *νόμαρχοι ὕπαρχοι* [4]) sive *ἐπίσκοποι*. Tributa exigebant, administrabant et rationem eorum dabant. Exemplum autem de modo quo hyparchus munere suo fungeretur in iis invenitur, quae nobis tradita sunt de Cleomene Naucratio, Aegypti hyparcho. Qui autem eodem tempore duobus muneribus fungebatur; administratio civilis tertiae partis

---

1) Quod dicitur v. c. de Balacro, Pisidiae praetore: *ἀποδεδειγμένος στρατηγὸς ἅμα καὶ σατράπης*. Diod. 18. 22. 1.

2) Gutschmid l.l. p. 7.

3) cf. Arrian. 3. 6. 4.

4) Arrian. 6. 27. 4.

Aegypti ei commissa erat, partis quam dicunt Arabicae, sed eodem tempore quaestor totius Aegypti fuit. Alexander universam Aegyptum uni praesidi vel satrapae committere ausus non est; quatuor praefectos ibi reliquit, duos Aegyptiacos, postea unum, quibus νόμοι Aegyptiaci curae essent, unum Graecum cui pars Libyca commissa est, et alterum Graecum, Cleomenem, in regionibus Arabicis; tum duos strategos exercitui in Aegypto relicto praefecit (Peucestam et Balacrum) et alios duces militibus indigenis et mercennariis [1]). Cleomenes etiam aerario publico praefectus est, cum eodem tempore ei commissum sit tributa universarum Aegypti regionum colligere et custodire [2]). De modo quo Cleomenes hoc duplici munere perfunctus sit, nonnulla nobis tradita sunt [3]).

Perinde ac rationes quibus usus est Alexander ad provincias administrandas inter sese variabant, secundum diversarum regionum naturam, etiam in constituendo rationem inter se et colonias Graecas in Asia non unam eandemque normam secutus est rex. Ante omnia alia attendendum est ad statum diversum urbium Graecarum in Europa et in Asia.

Jam primo capite satis dictum est de dominatione regum Macedoniae in ea parte Graeciae quae in Europa sita est, hoc loco quicquam de hac re commemoremus necesse non est. Sed prorsus diversa res est in Asia.

Inde ab Antalcidae pace urbes Asiae regi Persarum obnoxiae fuerunt, qui per oligarchias et tyrannos auctoritatem suam sustinuit, usque ad annum 334, cum post pugnam apud Granicum Asia Minor in Alexandri potestatem

---

1) Arrian. 3. 5. 1—7.

2) Arrian. 3. 5. 4; Curtius 4. 8. 5. „vectigalibus ejusdem Africae Aegyptique Cleomenes praepositus." Quod etiam tertium munus, nempe praesidium institutionum novae coloniae Alexandriae ei commissum est, hoc loco silentio praeterire licet.

3) Arrian. 7. 23 6 sqq.; Demosth. 1284. 25 sqq.– 1286.; Aristot. Oeconomica p. 1352.

pervenit. Et hic prorsus diversam rationem in Asia quam in Europa secutus est. Aliquot urbes ab eo plena libertate donatae sunt, oligarchiae pulsae, populares summis rebus praefecti, tributa quae regi Persarum ferre solebant, non amplius exacta sunt [1]). Aliarum urbium status alio modo ab eo firmatur, omnes tamen majore libertate fruebantur quam antea [2]).

In insula Chio quoque democratia restituitur [3]), sed auspiciis Alexandri [4]), quamquam conjuncta est cum Corinthi synedrio [5]). Insuper praesidium Macedonicum insulae imponitur donec dissensiones illic ortae sedatae essent, quod praesidium autem ab insulanis alendum erat [6]).

Perinde ac rex Graecos in Europa uno synedrio conjunxit, etiam coloniae in Asia diversis societatibus tribuuntur, ut societati Ilicae [7]). In universo tamen, ut Macedonum rex in Graecia oppressor libertatis habetur, ita in Asia ut beneficiorum auctor celebratur [8]).

Et jure quidem: Ephesus ab eo amplificatur, Smyrnam restitui jubet, Clazomenas cum terra continenti jungere in animo habuit, Ilium sedes synedrii, caput societatis fit, omni genere donorum ornatur, et major pars urbium plena

---

1) Dittenb. 166 (1e ed) *διότι ἐπί τε Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀντιγόνου αὐτόνομος ἦν καὶ ἀφορολόγητος ἡ πόλις ὑμῶν* (De Erythris).

2) Arrian. 1. 18. 2; Diod. 17. 24. 1; Droys. 1. 1 233 ann. 2. „Es ist nach den vorliegenden Materialien nicht möglich die Begriffe *ἐλεύθερος αὐτόνομος ἀφορολόγητος* nach ihrer staatsrechtlichen Bedeutung klar zu scheiden. Es würde zu weit führen die Beweisstellen aufzuzählen und man wird sich die Mannigfältigkeit von Verhältnissen nicht minder bunt und thatsächlich zu denken haben als in der Zeit des ersten Attischen Seebundes und der Spartanischen Symmachie."

3) Dittenb. 150. *πολίτευμα δὲ (εἶ)ναι ἐν Χίωι δῆμον.*

4) Ibid. *τὰ δὲ διορθωθέντα ἢ γραφέντα ἐπαναφέρεσθαι πρὸς Ἀλέξανδρον* et vs. 16.

5) Ibid. vs. 14.

6) Ibid. vs. 17.

7) Dittenb. 169. Droys. 2. 2. 382 sqq.

8) Strabo 644. *καὶ ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται συντελούμενος ἐνταῦθα.*

autonomia, suis legibus, et sua jurisdictione fruitur [1]).

Et hic status ut ab Alexandro institutus est per totam vitam ejus duravit [2]).

Quod Alexander, cum diversas partes imperii Persarum sibi subjiceret, deinceps praedia et bona regia in singulis provinciis sita sibi occupavit et possessione retinuit, sequitur ex hac re quod in Darii locum successit. Suspicandum est praedia illa magno numero et diverso genere praesto fuisse, dubium non est quin bona regia e. g. in Aegypto jam ante Ptolemaeos magni pretii et lato ambitu fuerint, et item in omnibus provinciis. Nec tamen rerum scriptores quicquam de hac re tradiderunt. Una tantum res pertinens ad praedia sive pascua Asiae Minoris, forte fortuna nominatur. Plutarchus enim ad annum 321 commemorat *τὰ βασιλικὰ ἱπποφόρβια περὶ τὴν Ἴδην νεμόμενα*, equitia regia sita in provincia Phrygia Minore [3]), et ex iis quae dicit patet illa tunc temporis regum Macedoniae fuisse eaque recta via regum nomine administrari ab eorum vicariis, a procuratoribus regiis, adeo ut equitiarii et agasones, qui illic fuerunt, inter regios ministros enumerentur necesse sit, cum ab altera parte rationes dispungerentur a magistratibus, quibus cura aerarii imperii commissum erat. Multa alia ex iis bonis, sive praediis regiis, quae eodem jure licet nominare loca fiscalia, pascua, sive publica regia, sive fiscalia, inde ab Alexandri temporibus auspiciis nomarchi ejus provinciae in qua sita erant, locarentur necesse erat, adeo ut eorum fruges vectigalium nomine fisco regio contribuerentur.

Inter bona regum Persarum, quae Alexander diversis locis invenit, etiam thesauri nominandi sunt. Possessio horum omnium fuit publici juris Reges ea non possidebant tam-

---

1) Strabo 593. *Ἀλέξανδρον δὲ ἀναβάντα μετὰ τὴν ἐπὶ Γρανίκῳ νίκην ἀναθήμασί τε κοσμῆσαι τὸ ἱερὸν καὶ προσαγορεῦσαι πόλιν καὶ οἰκοδομίαις ἀναλαβεῖν προστάξαι τοῖς ἐπιμελητταῖς ἐλευθέραν τε κρῖναι καὶ ἄφορον.* cf. Dittenb. 169 vs. 25. Arrian. 1. 18. 1/2 Diod. 17. 24. 1.

2) Droys. 2. 2. 380. Gaebler Erythrae p. 17. Holm 4. 74.

3) Plut. Eum. 8 cf. Droys. 2. 1. 150 ann. 2.

quam privati, sed ut principes imperii, adeo ut non transirent in heredes suos natura designatos, sed dumtaxat in successores regni; testamento adjudicari non potuerunt.

Nihilominus ab omni parte liberi erant in adhibendis illis pecuniis sive ad victum suum regium, sive ad commodum civitatis, utcumque sibi optimum visum est. Expensa immensa Alexandri, juxta ea quae facere in animo habuit, tantum non superabant reditus ejus aeque immensos [1]). Quod Alexander apud Arrianum dixit in oratione ad milites suos, victorias suas semet ipsum non ditiorem reddidisse, et omnia quae comparaverit, eam dumtaxat rem juvisse, ut divitias subjectorum suorum augerent [2]), tum solum ab omni parte verum est, si sic interpretamur, fruges et reditus bonorum ab eo comparatorum, non ad suas voluptates, sed ad mera commoda et utilitates civium ejus et subjectorum adhibita esse, et in posterum quoque adhibenda fuisse.

Thesauri fuerunt partes fisci Macedonici, in unum comprehensi fiscum effecerunt, quantum pertinet ad Asiam. Omnes perinde regia possessio fuerunt. Si nihilominus βασιλικὴ γάζα [3]) commemoratur, sive βασιλικοὶ θησαυροί [4]), qui reliquis thesauris opponuntur, et ut videtur tamquam peculiaris possessio regis, tunc scilicet ad eam partem fisci spectatur, quae a reliquis segregata erat, ut inde persolverentur sumtus privati regis, cui facile pecuniae suppeditari possent e ceteris thesauris. Hoc aerarium privatum autem, haud procul sedibus Alexandri prope Babylonem praesto esset necesse fuit.

De re pecuniaria Alexandri Justinus 13. 1. 9 dicit morte ejus „in thesauris adfuisse quinquagena milia talentum"; „in annuo vectigali ac tributo fuisse tricena milia talento-

---

1) cf. Diod. 18. 4. 4—6. Droys. 1. 2. 295.
2) Arrian. 7. 9. 9 et 7. 10. 2.
3) Diod. 18. 61. 1.
4) Arrian. exc. § 32.

„rum". Verba „vectigalia et tributa", eodem tempore fruges praediorum et tributa provinciarum amplecti videntur.

Summa autem triginta milium talentorum non male congruit cum hac re, quod anno 315 Antigoni reditus, qui tunc totam Asiam sibi subjecit, undecim milibus talentorum taxabantur [1]). Thesauri regii per universum regnum dispersi erant. Justum nomen fuit γαζοφυλακία. Fuerunt castella quam maxime munita, quibus singulis praepositus erat custos pecuniae, et praefectus militaris, quibus servi et milites necessarii ad castellum defendendum et fidem servandam praesto erant [2]). Ex thesauris autem quorum memoria aetatem tulit nominandi sunt:

1°. Susa. In hoc thesauro Alexander anno 331 quinquaginta milia talentorum invenit [3]).
2°. Babylon [4]).
3°. Persepolis. Ab Alexandro sublatus est; hoc quoque loco quinquaginta milia talentorum invenit [5]).
4°. Pasargadae (apud Curtium Persagadae). Ut videtur etiam ab Alexandro sublatus; illic autem invenit 6000 talentum [6]).
5°. Ecbatana.

Thesauri Babylone, Susis et Ecbatanis profecto sub Alexandro ditissimi et praecipui fuerunt; Babylonem autem caput regni destinaverat [7]), hoc loco Harpalus custos pecuniae constitutus est, qui munere suo perfunctus est inde ab

---

1) Diod. 19. 56. 5.
2) cf. Curtius 5. 2. 16 sqq.
3) Strabo 731; Arrian. 3. 16. 7; Diod. 17. 66. 2. Curt. 5. 2. 11. Plut. Alex. 36.
4) Strabo l.l.
5) Plut. Alex. 37. cf Strabo 728; Arrian. 3. 18. 10; Secundum Diod. 17. 71. 1 et Curtius 5. 6. 9. Alexander iis in locis invenit centum et viginti milia talentorum.
6) Curt. 5. 6. 10. Arrian. 3. 18 10.
7) Strabo 731.

anno 329, usque ad fugam ejus anni 325 [1]). Injuria Droysen 1. 1. 371 ex Arriano 3. 19. 7 deduxit, Harpalo thesaurum Ecbatanorum commissum esse. Arrianus hoc loco nihil aliud dicit, nisi quod Harpalo anno 330 mandatum est, ut Ecbatanis pecunias acciperet, quas Parmenio e Perside illuc transportaturus esset. Quod non pugnat cum locis qui comprobant Harpalum custodem Babylone fuisse (ann. 1.); nam Harpalus anno 330 adhuc praepositus erat universae rei pecuniariae Alexandri, ἐπὶ τῶν χρημάτων, perinde ac fuerat ante fugam suam anni 331 [2]), sed certum domicilium ei nondum indicatum erat; post annum 330 demum Babylone habitabat. Thesaurus autem Ecbatanorum ab Alexandro aestate anni 330 non illi, sed Parmenioni commissus est.

Susis Alexander Xenophilum arci praefecit, qui etiam multo post regis mortem illic commemoratur [3]), Callicrati autem thesaurum custodiendum dedit [4]), in quem multa ex thesauris Persicis transportanda curavit [5]). Hoc aerarium autem tot divitiis praeditum erat, ut cum primum Antipater anno 320 Antigonem et argyraspides jussisset magnam summam pecuniae inde tollere [6]), tum Eumenes, anno 317 Polysperchontis jussu, item magnam vim pecuniae inde accepisset [7]), nihilominus Antigonus, cum anno 316 reliquos thesauros inde abduceret, illic invenerit pecunias et res pretiosas, quae valebant quindecim milia talentorum [8]). Ad thesaurum Ecbatanorum ab Alexandro 180 milia talentorum

---

1) Diod. 17. 108. 4. Secundum Plut. Alex. 35 Harpalus etiam fuit ἐπιμελητὴς τῆς χώρας (scil. τῆς Βαβυλωνίας) cf. Theopompus fr. 277 et 278 cf. Schaefer 3. 305 ann. 4.

2) Arrian. 3. 6. 6 et 7.

3) Diod. 19. 17. 3; 19. 18. 1; 19. 48. 6.

4) Curtius 5. 2. 16.

5) Diod. 17. 71. 2.

6) Arrian. exc. § 38 cf. Diod. 18. 52. 7.

7) Diod. 19. 15. 5.

8) Diod. 19. 48. 7 sqq.

missa sunt [1]), huic ipsi thesauro aestate anni 330 Parmenio custos praepositus est, qui eodem tempore Atropatae Medorum satrapae ἄρχων sive ἐπίσκοπος adjunctus erat [2]). Thesaurus Ecbatanorum etiam ad annum 316 commemoratus est [3]).

Deinde nominanda sunt:

6°. Cyinda in Cilicia. Antigonus anno 315 in hoc thesauro decem milia talentorum invenit [4]).

7°. Tyrus. Thesaurus in hac urbe ad annum 321 tantum memoratur [5]).

8°. Thesaurus Aegypti, verosimiliter Memnone.

Forte fortuna accidit ut illi thesauri a scriptoribus nominentur; attamen sine dubio plures fuerunt. Etenim si in singulis provinciis thesaurus non aderat, profecto necesse fuit ut cuique provinciae thesaurus, fortasse communi administratione cum aliis, indicatus esset, isque non nimis remotis locis. Thesauri enim destinati erant, ut acciperent tributa provinciae in qua siti erant, et ut videtur, provinciarum quoque finitimarum, insuper fruges praediorum regiorum. Quod patet partim e verbis rerum scriptorum [6]); partim ex hac quoque re, quod iisdem praefectis et custodibus vectigalia in provinciis exacta persolvenda erant.

Harpalo verbi causa, qui Babylone thesauro praefuit, simul mandata fuit custodia thesauri, simul πρόσοδοι regionis suae asservandae datae erant [7]).

Neque thesauri neque eorum praefecti et custodes Alexandri temporibus ulla in re e satrapis provinciae ubi siti erant, pendebant; auspiciis regiis administrabantur. Post Alexandri

---

1) Strabo 731.

2) Diod. 17. 80. 3. Diodorus eundem numerum talentorum ac Strabo tradit.

3) Diod. 19. 20. 3.

4) Strabo 672. Diod. 18. 58. 1; 18. 62. 2; 19. 56. 5; Plut. Eum. 13.

5) Diod. 18. 37. 4.

6) Strabo 729 τὰ γαζοφυλάκια ἃ τοσούτοις χρόνοις ἐξεπλήρωτο, οἷς ἐδασμολόγησαν Πέρσαι τὴν Ἀσίαν.

7) Diod. 17. 108. 4.

mortem scilicet perinde fuit quantum ad jus pertinet; sed quod procuratores imperii magis magisque impares erant sustinendo muneri, adeo ut in nonullis provinciis (Aegyptus v. c. cf. p. 95.) jam cito prorsus interierit, unum ex praecipuis indiciis fuit imperium dissolutum iri.

Libri et codices accepti et expensi a ministris thesaurorum perpetuo conscriberentur oportuit. Praefecti et custodes rationem reddebant solum apud regem; et quo magis munere suo ad fraudem pellicebantur, eo gravius periculum fuit. Pericula quibus obnoxii erant, si thesauri, quos administrabant, avaritiam malevolorum vel seditiosorum excitabant, maximi habenda erant; quae tamen admodum imminuta sunt moenibus validissimis, quibus arces munitae erant; nullo loco enim apparet, ne post Alexandri mortem quidem, thesauros vi expugnatos esse, in universo dici potest custodes facile fidem contra vim praestare potuisse [1]), quod vulgo etiam iis magis in rem fuit.

Quomodo rationem apud reges reddiderint, nullo loco plane commemoratum est, haerere possumus inter duas opiniones, aut rationem certis temporibus ab iis postulatam esse a certis viris qui regio nomine arcas dispungerent, aut hoc factum esse incertis temporibus. Sed verisimile est ab Alexandro praeceptum esse ut rationes semel in annum Babylonem mitterentur, ipsum regem autem eo animo fuisse, ut incertis temporibus thesauros viseret, vel ut suo loco fidissimos homines mitteret, qui exquirerent num arcae intactae, pecuniaeque praesto essent. Duo sunt loci in quibus hujus rei vestigium inveniatur, uterque indicat regem ipsum rem cognovisse, idque incertis temporibus. Unum indicium est verbum ab Antipatro ad milites in contione anno 321 Triparadisi pronunciatum, cum ipse procurator imperii creatus est; dixit enim iis qui praemia militiae et dimissionem flagitabant sese in praesentia quidem responsum dare non posse, sed rem sibi curae fore, simulac statum thesaurorum

---

1) Diod. 19. 18. 1. cf. 19. 48. 6.

Babylone et reliquorum quotquot aliis locis praesto essent cognoverit [1]).

Alter locus is est, quo narratur, quomodo Antigonus, qui sibi summam imperii arrogavit post Antipatri mortem, anno 316 post Asiam Superiorem subjectam sese erga Seleucum Babylonis satrapen gesserit. Cum ab eo benigne et comiter in satrapia ejus exceptus esset, sese adversus eum gessit, tamquam procurator imperii erga satrapen, postulavitque ut rationes thesauri provinciae suae, in diem constitutam sibi traderet. Seleucus autem Antigonum tantum agnoscere in animo habuit tamquam amicum potentem, sed jure sibi aequalem, non ut dominum et superiorem; quam ob rem negavit quominus ei oboediret salutemque fuga petiit [2]).

Ex his locis quidem satis apparet cognitionem thesaurorum recta ab ipso rege sive nomine ejus factam esse. Quandoquidem thesauris continebantur reditus provinciarum; jus tributorum et redituum praediorum, quod ad reges pertinebat, quod inter praecipua jura imperii habebatur, etiam significari potest ut jus regium thesaurorum. Quod jus fide nonullorum custodum post Alexandri mortem per bella civilia magna in parte imperii satis diu sese sustinuit, et vinculum fuit haud negligendum, quod Asiam, vel potius aliquot partes Asiae aliquantisper cum Macedonia conjunxerit.

Regibus permissum erat, ut juberent sibi et ministris suis e thesauris tantum exsolvi, quantum ipsis placuerit, cui rei opus dumtaxat fuit jussu verbis dato, sive epistola ad custodes, eodemque tempore mandato per epistolam ad eam

---

1) Arr. Exc. § 32: *παραυτίκα μὲν μηδὲν ἔχειν φράζειν ἀκριβές, ἐξετάσαι δὲ τούς τε βασιλείους θησαυροὺς καὶ τοὺς ὅσοι ἀλλαχόθι που κείμενοι ὦσι, τηνικαῦτα τὸν δυνατὸν τρόπον κ. τ. λ.* .... cf. supra p. 72 ann. 3.

2) Diod. 19. 55. 3. *τοῦ δ' Ἀντιγόνου λόγους ἀπαιτοῦντος τῶν προσόδων, οὐκ ἔφησεν (ὁ Σέλευκος) ὀφείλειν ὑπὲρ ταύτης τῆς χώρας ὑπέχειν εὐθύνας ἣν Μακεδόνες αὐτῷ δεδώκασι.* App. Syr. 53. *χαλεπήνας ὁ Ἀντίγονος ᾔτει λογισμοὺς χρημάτων τε καὶ κτημάτων.* (Quod rationem postulavit de *προσόδοις χρήμασι* et *κτήμασι* (redituum et pecuniarum) ostendit hoc loco agi de administratione thesauri).

personam, quae summam acceptura esset, utroque sigillo imperii ornato.

Non opus est dicere ipsum Alexandrum e thesauris tantum sumpsisse quantum necesse haberet ad res militares, sive ad alia negotia, cujus rei insuper indicia extant [1]). Inde ab iis temporibus, quibus reges in Macedonia sedes haberent, ipsi, sivi procuratores eorum curabant ut magnae summae pecuniae e thesauris illuc transportarentur, quas praetores cum militibus prosequebantur [2]). Si cui dare vellent magnam summam pecuniae, tum et ad illum ipsum et at custodes thesaurorum quibus haec res committeretur, regias epistolas miserunt [3]).

Non est dubium quin, quoties narratur Alexandrum sive successores ejus et eorum procuratores, Perdiccam, Antipatrum, Polysperchontem praetori alicui, summam quandam pecuniae commisisse, (v.c. Perdiccas anno 323 Eumeni quinque milia talentorum dedit ut occuparet provinciam suam Cappadociam; multa alia quoque exempla hujus rei praesto sunt [4])) hoc factum sit chirographo et delegatione ad thesaurum.

Ergo expensa regis, sive imperii regii recta profluxerunt e thesauris. Attamen aliud quoque genus expensorum commemorandum est.

---

1) cf. Diod. 17. 71. 2.

2) Arr. Exc. § 32.

3) Apud Diod. 18. 58. 1 et 18. 60. 2 utraque commemoratur, èt epistola regia quam Polysperchon anno 319 misit ad Eumenem, qua ei 500 talenta dono daret, èt epistola regia ad θησαυροφυλακτοῦντας Cyindae. Praeter haec quingenta talenta Eumeni permissum erat ut plura acciperet, quotquot rogaturus esset non solum e Cyinda, sed etiam e Susis et reliquis thesauris, ad quos item regiae epistolae missae erant. (Diod. 18. 58. 1 et 19. 15. 5). Danda ei erant τῶν ἄλλων χρημάτων ὅσα ἂν αἰτήσῃ πρός τε τὰς ξενολογίας καὶ τὰς ἄλλας τὰς κατεπειγούσας χρείας. Cur tandem quingenta illa talenta seorsum commemorata sunt? Discrimen scilicet hoc est, quod ei non opus fuit eorum rationem reddere, sed quod de reliquis quae accepturus esset, ratio reddenda erat.

4) Plut. Eum. 3.

Sub regno Alexandri non tantum bella fuerunt, quibus ipse prospiciebat, et res ad victum cultumque regis necessariae, quae persolvendae erant; provinciae scilicet non minus magnas summas flagitabant. Ante omnia alia victui cultuique ipsorum satraparum providendum erat. Huic rei verosimiliter ubique eodem modo ita prospectum erat, ut satrapis pars quaedam redituum provinciae, sive vectigalia certarum urbium, sive fruges certorum pascuorum vel publicorum, nonnumquam utrumque addictum esset, quae rex iis concesserat, quaeque iis dum satraparum munere fungerentur, pro suo patrimonio, saltem pro suo fisco habere licuit. Tales delationes *δωρεαὶ βασιλέως* vocantur. Sub regibus Persarum e. g. Tissapherni pars urbium Ioniae, id est, earum reditus concessa erat [1]).

Accipimus Eumenem utpote satrapen Cappadociae inde ab anno 322 usque ad 320 in provincia sua certa bona possedisse; cum Antipater et Craterus anno 322 contra eum proficiscuntur, praeter satrapiam ei insuper agros quos privatim possideret offerunt [2]); postea anno 319 dum Norae obsidebatur, Polysperchon epistolam ad eum misit, qua ei obtulit praeter satrapiam, etiam possessionem eorum bonorum quae antea obtinuisset, *τὰς δωρεὰς ἁπάσας ὅσας πρότερον εἶχε κατὰ τὴν Ἀσίαν* [3]). Ipse Eumenes in congressione quam cum Antigono habuit dum Norae includebatur, exeunte anno 320, ab eo postulavit, ut satrapia sibi redderetur, *καὶ τὰς δωρεὰς ἀποδίδοσθαι* [4]); paullo post ipse Antigonus per Hieronymum Cardianum pacem et amicitiam ei obtulit *καὶ λαβεῖν δωρεὰς πολλαπλασίους ὧν πρότερον ἦν ἐσχηκὼς καὶ σατραπείαν μείζονα* [5]). Hoc modo omnibus satrapis certi reditus addicti fuerint Sed etiam plura erant.

Administrationi civili provinciae, tametsi illis temporibus

---

1) Xenoph. Anab. 1. 1. 6.
2) Plut. Eum. 5.
3) Diod. 18. 57. 3.
4) Plut. Eum. 10.
5) Diod. 18. 50. 4.

nondum magna cum cura exercebatur, expensa requirerentur necesse fuit, tam ordinaria, quam extraordinaria, in curam viarum et portuum et talium rerum. Haec omnia quantum pertinent ad administrationem publicam satrapis adjudicata erant. Reliquis quoque magistratibus provinciarum èt strategis èt nomarchis expensa certa facienda erant. Utique militibus mercennariis stipendium dari oportuit, reliqui milites alendi erant.

Expensis sub Alexandro rege prospiciebatur a magistratibus quibus res pecuniaria commissa erat; nomarchis et hyparchis ad has res expediendas rursus magistratus minores praesto erant. Audimus [1]) curam viarum in Babylonia ab Alexandro commissam esse Antimeni cuidam Rhodio, magistratui Harpalo subjecto scilicet; pecuniae quae huic rei requirebantur, exigendae erant e portorio, quod recipiebat ab iis qui viis illis vehebantur, et ratio nimirum reddenda erat apud thesaurum, ad quem etiam id, quod superesset, deferret. Etiam audimus [2]) in Aegypto fuisse Cleomenem, qui mercennariis militibus, qui illic aderant, stipendium persolveret. Haec omnia expensa fuerunt imperii et regis, sed ex exemplis nostris apparet ea solvi e προσόδοις provinciae, pecuniis igitur ejus thesauri qui in ipsa provincia situs erat, vel ad eam provinciam pertinebat, sustentabantur. Hanc ob rem quotannis permagna summa pecuniae nomarcho illi attribueretur necesse fuit, quae necessario pecunia incerta fuit. Haec pecunia nomine tantum e thesauro tollebatur, perinde ac nomine tantum omnes reditus provinciae thesauro inferebantur. Ministri qui ad thesaurum libros et codices perscribebant, quum reditus ut acceptos, tum erogationes ut expensas referebant. Revera tamen expensa de reditibus deducebantur, antequam hi ad thesaurum pervenirent, in thesauro nihil aliud deponebatur, nisi pecunia quae restabat; rationes autem etiam illic servaban-

---

1) Aristot. Oeconomica p. 1352. B. i. f.

2) Aristot. Oeconomica p. 1353. B.

tur. Harpalus sumptus suos privatos e reditibus Babyloniae persolvebat, quod profecto ei lege concessum erat, si modo modici erant [1]). Hoc modo non tantum regibus permissum fuit ut thesaurorum pecunias dispensarent, magistratibus quoque provinciarum usque ad incertam summam pecuniam erogare licuerit necesse est dummodo expensa sua rationibus et testimoniis comprobare possent. Haec expensa annua profecto devorabant satis magnam partem redituum cujusque thesauri; sed quocumque modo res se habuit, semper rex curabat ut auspiciis suis rationes ad thesauros pertinentes examinarentur.

Rex non minus aliis in rebus id cavere studuit ne jura et privilegia magistratuum, magna cum cura ab eo constituta et circumscripta, a quoquam migrarentur, imprimis id curavit ut satrapae severe custodirentur; severum in modum prohibuit quominus sese gererent tamquam domini regionum quibus praepositi essent; quamquam crebra exempla nobis praesto sunt de satrapis a rege dignitate sua dejectis, tamen supervacaneum est illa memorare.

Cura regis autem ad omne genus rerum pertinuit, quod apparere potest ex hoc exemplo. Peucestas Satrapes Persidis id studuit ut favorem subjectorum sibi conciliaret, se adaptando ad eorum mores, sive conando eorum lingua uti, sive in publicum prodeundo Persico more vestitus; quod postremum autem ei facere non licuit, nisi permissu regis, et unicus quidem fuit Macedo, cui tale quid a rege concessum sit [2]).

Imprimis decreta Alexandri post reditum ex India anno 324 facta, demonstrant eum tam in animo habuisse, ut imperium suum supremum sustineret, quam eum fuisse, qui revera auctoritatem suam sustentaret. Hac quoque occasione aperte satrapis interdictum est, ne mercennarios milites conducerent, iisque praeceptum est, ut dimitterent illos milites,

---

1) Diod. 17. 108. 4.
2) Diod. 19. 14. 5; 19. 23. 1.

qui apud se mercede conducti stipendia facerent [1]). Sed regis immatura mors his omnibus finem imposuit, statim post obitum ejus immensum imperium ab omni parte perturbatum est.

---

§ 4. De rebus anno 223 Babylone constitutis. De Imperio Macedonico sub Perdicca. India et Aegyptus. Bellum contra Perdiccam gestum.

Ante omnia alia haec praecipua quaestio orta est post regis mortem, ad quemnam heredum ejus jus administrandi imperii pertinuerit. Nam varii competitores praesto erant. Praecipui fuerunt filius Alexandri et Roxanes qui mox nasciturus erat, Cleopatra Alexandri soror, frater regis Philippus Arrhidaeus, et Heracles filius Alexandri et Barsines. Ex iis autem post seditionem militum Babylone reges renunciati sunt: Philippus III Arrhidaeus (323—317) et Alexander IV (323—311) Roxanes filius.

Infans Alexander matris Roxanes curae commissus est; Philippus brevi post Eurydicen uxorem duxit, quae illi curam et amorem piae conjugis praestitit [2]).

Una cum Antipatro reges cum reginis exeunte anno 321 in Macedoniam reverterunt, ubi uterque usque ad mortem regium titulum gessit.

De quaestione utri regnum optimo jure attribuendum esset, de quaestione num forte personae fuerint, ad quas, simul cum tutela infantis Roxanes legitime etiam regnum pertinuerit, de quaestione num alii Philippo anteponendi fuerint, qui juxta Roxanes infantem regnarent, opiniones magnopere discrepabant.

Primo loco jus Olympiadis matris regis considerandum est. Nam quamquam vulgo ad hanc rem parum attenditur,

---

1) Diod. 17. 111. 1—3.

2) Arrian. § 23. Polyaen. 8. 60. Diod. 19. 52. 5; 19. 11. 7.

res gestae Olympiadis modo traduntur tamquam consequentiae regni cupiditatis ejus et iracundiae; suo judicio vero iuste regnum et tutelam sibi vindicabat, tametsi id a paucis agnitum est. Jure hereditario Macedonico praescriptum erat, et eadem regula temporibus diadochorum quos dicunt, etiam aliis in regionibus a Macedonibus occupatis, verbi causa in Aegypto omnino non spernebatur, ut, si morte regis heres legitimus quidem, sed nondum adulta aetate, adesset, tutela legitima esset personis superstitibus ejusdem stirpis, sed provectiore aetate; sive viris, sive mulieribus; sive frater fuit, sive patruus defuncti regis, sive ipsius vidua vel etiam decessoris ejus, idque secundum eam regulam qua major natu tutelae propior esset.

Jus naturale regni Alexandri administrandi post mortem ejus Roxanes infanti soli fuit, tamquam filio agnato regis, nato e matrimonio justo. Nobilitas quoque Macedonica Babylone initio perinde judicavit, postea autem coacta fuit peditibus morem gerere, etiam agnoscere Philippum Arrhidaeum; sed jus naturale ad nullum nisi ad infantem recens natum pertinuit. Sed cuinam tutela legitime committenda erat? Non ipsi Roxanae; haec enim peregrina fuit, matrimonio justo legitime quidem, sed non ex jure Macedonico cum Alexandro conjuncta fuerat, hanc ob rem illa ipsa, utpote peregrina, numquam imperium sibi vindicare potuit, neque vindicavit.

Profecto nulla alia tutrix natura indicata erat, nisi Olympias, huic enim jus fuit agendi infantis loco, utpote avia regni procuratrix. Tamen ne verbum quidem de hujus jure apud rerum scriptores anni 323 invenitur, sed causa in hac re quaerenda est, quod neque Perdiccae, neque cujusquam ceterorum principum Babylone intererat, ut haec tutelam ageret, itaque nomen ejus silentio praeterierunt, nemo nisi Eumenes, et postea Polysperchon jus regiae matris agnovit.

Nec tamen ipsa regina jus suum vindicare desiit, eandem ob causam non agnovit Philippi Arrhidaei jus, quod solum

favore exercitus niteretur. Maxime enim leges violari ei visae sunt, si stirps junior regnaret, cum heres legitimus, cujus ipsa tutrix legitima esset, praesto esset; hanc ob rem Eurydicen, quae tamquam regina regnans inde ab anno 321 usque ad 318 Pellae vitam egit, tanto odio persecuta est, quippe quae sua vice res administraret; hanc ob rem omnium primum id egit, cum tandem summam potestatem adepta est, ut èt Philippum èt Eurydicen interficeret. Jam antea id curavit ut infans Alexander sibi traderetur; absque eo enim ipsa nulla erat, illo ipso et illius vita omne jus suum nitebatur. Roxanen de salute pueri sollicitam reddidit, quam ob rem brevi post Antipatri mortem infans, comprobante Polysperchonte, a Roxane, quae sibimet ipsi nihil rogavit, in Epirum, ubi Olympias vitam egit, transportatus est [1]).

Secundo loco nominanda est Cleopatra, Alexandri soror. Secundum successionem legitimam etiam huic jus quoddam tutelae et regni concedendum est, quod secundo loco, post Olympiadis, sed ante Philippi Arrhidaei habendum est. Multorum hominum judicio magni momenti erat, cum adhuc matrimonium inire posset, quo matrimonio marito suo jura nequaquam spernenda ad regnum capessendum datura esset. Primum Leonnatum maritum sibi elegit [2]), post hujus mortem autem Perdiccae morem gessit, eique nupsit, sed hic quoque mortuus est [3]). Inde ab hoc tempore Sardibus sedes habuit, nomine tantum libera erat, sed mox in Antigoni custodiam pervenit, cum hic Asiam Minorem occupavit. Etiam diu post matrimonium Cleopatrae a ducibus Alexandri tamquam praemium victoriae habebatur, et quodammodo instrumentum quo summa imperii possessio pararetur. Sed omnes qui ad matrimonium illud aspiraverunt, Cassander, Lysimachus, ipse Antigonus ab ea repudiati

---

1) Plut. Eum. 13. cf. Diod. 19. 23. 2.
2) Plut. Eum. 3.
3) Diod. 18. 23. 3.

sunt [1]). Tandem anno 308 Ptolemaeo Aegypti praefecto morem gessit, in eo erat ut sese ad eum conferret, cum a famulis suis interfecta est, secreto Antigoni jussu [2]).

Postremo loco etiam puer Heracles nominandus est, filius Alexandri et Barsines, sororis Memnonis. Quod ad illum attinet, nihil commemorandum est hoc loco nisi expeditio Polysperchontis anni 311, quae suscepta est ut eum in solium regium paternum collocaret, sed quae simul causa mortis ejus fuit.

Quod anno 323 ipsi reges imperio impares fuerunt, nota res est. Necessario res administrandae erant a summo quodam magistratu, cujus potestas sese per totum imperium extenderet, qui, cum possideret sigillum imperii, decreta regio nomine facta per totum imperium circummitteret, et qui per exercitum id curaret, ut diversae gentes jussis suis oboedirent

Item praesto esset aliquis necesse fuit, qui custodiret corpora regum, rebus eorum prospiceret. Hae autem duae res, nempe cura imperii et cura corporum regiorum uni viro omnino non committendae erant. Cum primum res constitutae sunt, usque eo separatae sunt, ut cura imperii uni viro committeretur, cura regum autem inter plures divisa sit.

Custodes regis, secundum primum decretum a nobilitate Babylone factum, statim post Alexandri mortem quatuor viri constituti sunt, nempe Perdiccas et Leonnatus, Antipater et Craterus; hi quatuor viri summo imperio praefecti sunt, et eodem modo quo in verba regum jurabant magistratus et milites, in eorum quoque verba jurandum erat [3]).

---

1) Diod. 20. 37. 4.

2) Diod. 20. 37. 5.

3) Justin. 13 2. 14.: „si puer natus fuisset, tutores Leonnatum et „Perdiccam et Craterum et Antipatrum constituunt, confestimque in „tutorum obsequia jurant."

Leonnato et Perdiccae primo loco nominatis, ut videtur, custodia filii infantis ex Roxane commissa erat [1]).

Sed gradus dignitatis et negotia quae singulis committebantur valde discrepabant. Praecipuus honor ut tunc constitutus est decreto nobilitatis confirmato a contione plebis [2]), fuit chiliarchatus. Hoc munus quo post Hephaestionis mortem nemo amplius perfunctus erat (cf. p. 66,) Perdiccae commissum est, qui jam ab Alexandro adhuc viventi anulum regium acceperat [3]), quem etiam nunc retenturus erat, cum eodem tempore, utpote chiliarchus, summus dux universi exercitus futurus esset [4]); princeps ergo futurus erat inter regum tutores, simulque suscepturus erat curam imperii. Juxta eum Leonnatus constitutus est vicarii ejus instar (hyparchus) vel potius fortasse ut hipparchus ejus [5]). Antipater autem eodem munere strategi autocratoris, quo jam inde ab anno 336 ornatus erat [6]) fungi pergebat, vel potius denuo perfuncturus erat [7]); cum Alexander eum jam revocavisset et Craterum ut successorem ejus in Macedoniam misisset [8]); regnum Macedoniae, civitatium foederatarum et Graeciae ei committendum erat, et sine dubio etiam prae-

---

1) Curtius 10. 7. 8: „tutores destinat filio ex Roxane futuro Perdiccam „et Leonnatum, stirpe regia genitos."

2) Dexippus fr. 1. *οἱ ἀμφὶ Περδίκκαν οἳ κρίσει τῶν Μακεδόνων ἐπετρόπευον αὐτοῖς.*

3) Arr. § 3. *ἐφ' ᾧ Περδίκκαν χιλιαρχεῖν χιλιαρχίας ἧς ἦρχεν Ἡφαιστίων, τὸ δὲ ἦν ἐπιτροπὴ τῆς συμπάσης βασιλείας.* Dexipp. fr. 1. Curtius 10. 6. 18. „Perdiccam regis anulum tollere jubebant."

4) Diod. 18. 23. 2. *παρέλαβε τὰς βασιλικὰς δυνάμεις.* Justin 13. 4, 5. „castrorum et exercitus et regum cura Meleagro (ante eum Leonnato) et Perdiccae assignatur."

5) Arr. exc. § 3 *Μελέαγρον* (hic enim Leonnato successor fuit) *δὲ ὕπαρχον Περδίκκου*, fortasse praestat legere *ἵππαρχος*.

6) cf. supra p. 66.

7) Arr. § 3. *ἐφ' ᾧ Ἀντίπατρον μὲν στρατηγὸν εἶναι τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην.* Curtius 10. 7. 9. „adjecit ut in Europa Craterus et Antipater res administrarent."

8) Arr. 7. 12. 4. Justin. 12. 12. 9.

positus est Lysimacho satrapae Thraciae, tametsi huic permisit ut ab omni parte libertate frueretur [1]). Craterus Antipatro adjunctus erat, pari potestate ut videtur, quandoquidem jam Alexander eum hoc munere ornavit [2]), sed post adventum ejus in Macedoniam, sponte primum locum Antipatro cessit [3]).

Quamquam universi illi quatuor magistratus tutores regum appellabantur, dignitas illa quod ad Craterum attinet paullo distinctius commemoratur [4]), quod hac re explicatur, quod cura bonorum et patrimonii regii ei commissa erat [5]). Dissensiones et seditio peditum hanc rem mutaverunt; Meleager Leonnati loco hyparchus (hipparchus?) chiliarcho adjunctus est. Quae res tamen paucos dies stetit et finem cepit morte Meleagri. Tum res stabiliore modo constitutae sunt. Perdiccas sese chiliarchatu abdicavit, et nihil retinuit nisi titulum „ἐπιμελητὴς αὐτοκράτωρ τῆς βασιλείας," Antipater et Leonnatus, qui ceterum anno 322 acie caesus est, posthac non amplius inter tutores regum nominantur. ἡ ἐπιμέλεια τῆς βασιλείας penes duos viros nempe Perdiccam et Craterum mansit; sed Perdiccae tamquam autocratori [6]) summa potestas fuit, hic sigillum imperii retinuit, et summum exercitus imperium. Seleucus autem ei hipparchus adjunctus

---

1) cf. pag 86 ann. 7. Dexipp. fr. 1. et Arr. § 7. Justin. 13. 4. 5. et Diod. 18. 3. 2. Thraciam secernunt a finibus quibus Antipater praepositus erat; profecto hac in re facta magis quam jus sequuntur. Vestigia enim quae ostendunt Antipatrum etiam Thraciae rebus interfuisse non prorsus desunt.

2) Curtius 10. 7. 9. cf. pag. 86. ann. 7.

3) Diod. 18. 16. 5. τοῦ πρωτείου παραχωρήσας ἑκουσίως Ἀντιπάτρῳ.

4) cf. Justin. 13. 2. 14 et pag. 85 ann. 3. cum Dexipp. fr. 1. τὴν δὲ κηδεμονίαν καὶ ὅση προστασία τῆς βασιλείας Κράτερος ἐπετράπη ὃ δὴ πρώτιστον τιμῆς τέλος παρὰ Μακεδόσι et Arr. § 3. Κράτερος προστάτης τῆς Ἀρρίδαίου βασιλείας.

5) Justin. 13. 4. 5. „regiae pecuniae custodia Cratero traditur."

6) Diod. 18. 2. 4. et Arr. § 3 hoc epitheton titulo ejus non addunt; quod autem ei debebatur patet ex Arr. § 3, et ex hac re quoque quod successor ejus Antipater hoc titulo praeditus erat.

est [1]), cum Cratero cura regiorum bonorum commissa sit [2]).

Jam supra (pag. 86 ann. 2.) dictum est summum imperium commissum esse decreto nobilitatis Macedonicae confirmato a contione plebis; quod non tantum factum est anno 323 Babylone, sed etiam anno 321 Triparadisi [3]). Et eodem modo sine dubio Antipater brevi ante mortem anno 319 non ipse solum quocumque modo decretum de hac re tulit, sed etiam hetaeri et plebs, quae Pellae aderat, nominationem Polysperchontis confirmaverunt. Summa potestas ergo penes plebem et nobilitatem erat.

Quatenus certa edicta procuratoris regii a nobilitate et plebe firmanda fuerint, non dilucide patet. Multa exempla praesto sunt quae ostendunt procuratores imperii satrapas ad se in jus vocavisse. Uno loco saltem accipimus reum non solum coram rege et procuratore regio, sed in contione universorum Macedonum rem suam egisse; non alio modo Ptolemaeus Lagi egit, cum Perdiccas ei vadimonium constituisset; etiam hic sese coram exercitu defendit, sed causa cecidit [4]). Satrapae creati sive munere dejecti, innumeri commemorati sunt, nec tamen quicquam amplius nisi hoc ipsum factum traditum est [5]). Fieri tamen potuit ut prima quaque occasione, qua satrapes munere dejectus sit, nobiles et milites qui aderant sententiam rogati sint.

Cura universi imperii, regia potestas ut ex praecedentibus apparuit, morte Alexandri a rege in diversos viros variis muneribus fungentes transiit. Sed neque minus administratio singularum provinciarum jam statim post mortem Alexandri laxiore vinculo cum summo imperio conjuncta fuit, res maximi momenti quod attinet ad disso-

---

1) Diod. 18. 3. 4. Justin. 13. 4. 17.

2) cf. p. 87. ann. 4.

3) Diod. 18. 39. 3. *οἱ Μακεδόνες ἐπιμελητὴν εἵλοντο Ἀντίπατρον αὐτοκράτορα.*

4) Arrian. § 28.

3) cf. quod Eumenis milites Macedonici a⁰. 319 in Cilicia Antigonum hostem regum pronunciaverunt. Diod. 18. 63. 4.

lutionem imperii, quae mox secutura erat, immo ex hac ipsa re originem cepit.

Jam supra pag. 66 Antipater nobis obvius fuit, tamquam *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* universae parti imperii in Europa sitae praepositus, nunc etiam in Asia hi magistratus magis vulgati sunt. Exemplum hujus officii praesto est in Peithone, qui inde ab anno 323 praeter ipsius provinciam Mediam, insuper universa praetura totius Asiae Superioris praeditus erat [1]). Quae continebat ut, ubi bella in Asia gerenda erant, satrapae, jussu summae imperii administrationis, copias militares suas ad Peithonem ducerent, imperatisque ejus oboedirent. Profecto hanc ob rem Peitho praefuit expeditioni, quae anno 323 contra colonos seditiosos in Bactria et Sogdiana, qui in patriam redire in animo habuerunt, facta est; tametsi ipse titulus nondum a Diodoro appellatur, ipsa facta demonstrant Peithonem jam tum summum Asiae praefectum fuisse [2]), quamquam videtur Peithoni non attribuendus esse titulus „*αὐτοκράτωρ*", neque ei fuisse jus pacis bellique, neque cura pecuniae publicae, jus habendi delectus, evocandi satrapas, etc. alioqui haec omnia huic titulo conjuncta fuerunt. Postquam anno 318 Peithon consiliis suis nimis ambitiosis apud reliquos satrapas in suspicionem venit, communi consilio Peucestam Persidis satrapen successorem ejus nominaverunt [3]).

In parte occidentali imperii cis Euphraten flumen, tales praeturae, quae diversas provincias amplectuntur paullo crebrius nobis obviae sunt, originem autem ceperunt e bellis a summo imperio gerendis, his locis eorum potestas autocratoris titulo, et privilegiis huic titulo conjunctis, aucta est; praeter supra memorata etiam addendum est jus conferendi titulum „*φίλος βασιλικός*," cumque eo titulo pur-

---

1) Diod. 19. 14. 1. *σατράπης Μηδίας, στρατηγὸς δὲ τῶν ἄνω σατραπειῶν ἁπασῶν γενόμενος.*

2) Diod. 18. 7. 3.

3) Diod. 19. 14. 4.

puram [1]). Hoc modo Eumenes anno 322 a Perdicca, cum in eo esset ut expeditionem in Aegyptum faceret στρατηγὸς αὐτοκράτωρ Asiae Minoris constitutus est; hujus tituli formula Alcetas, praefectus exercitus Macedonici in Asia Minore, Neoptolemus satrapes Armeniae aliique auspiciis ejus obnoxii erant, obligati erant paratos habere milites suos ad Eumenis jussa, tametsi illi duo ipsi conati sunt, sese huic rei substrahere [2]).

Et cum hac majore potestate insuper arctissime cohaerebat jus expensa faciendi imperii causa. Cum Eumenes anno 322 titulum illum adeptus esset, magnam vim pecuniae expendit in Asia Minore; exercitum coegit, ipsa vectigalia imminuit ut Cappadoces ad stipendia facienda cohortaretur; aliis immunitates dedit, aliis tributa condonavit (ἀνεισφορίας διδοὺς καὶ ἀτελείας); liberalitates et dona distribuit (φιλοτιμίας καὶ δωρεάς) [3]) E satrapia sua πολλὰ χρήματα adeptus est [4]). Paullo post Polysperchon ei concessit, ut ex omnibus thesauris tantum pecuniae eximeret, quantum sibi placuisset, exsolvenda ei sunt ὅσα ἂν αἰτήσῃ [5]), καθ'ὅτι ἂν αὐτὸς προαιρῆται [6]). Tamen apparet cum his omnibus obligationem rationem reddendi non sublatam esse, et accurate distinguitur inter pecunias de quibus rationem reddere ei non opus erat et eas quarum rationes ad thesaurum praesto essent necesse erat [7]).

Non minus quam novi illi magistratus, ipsi satrapae singularum provinciarum majore potestate fruebantur. Etenim post Alexandri mortem ubique strategorum officia cum satraparum muneribus confusa sunt, vel quod idem est, summum imperium exercituum in diversis provinciis in

---

1) Plut. Eum. 8. fine.
2) Diod. 18. 29. 4.
3) Plut. Eum. 4.
4) Diod. 18. 53. 2.
5) Diod. 18. 58. 1.
6) Diod. 19. 15. 5.
7) cf. infra 93.

satraparum potestatem pervenit. Nullo alio loco nisi in Taxilis regis finibus in India Superiore trans Indum flumen, etiam post annum 323 episcopum (supra p. 67), invenimus, qui regi Taxili adjunctus fuit, nempe Eudemum. Ceterum posthac singuli satrapae ipsi suos exercitus alebant, tamquam reges in regnis suis, rerumque scriptores rem ita tractant, quasi res ita ferrent, et quasi numquam alio modo sese habuissent [1]. Sed verum est iis non permissum fuisse, militibus suis uti quocumque modo sibi placuit.

De pace et bello satrapis nondum decernere licuit. De copiis adhibendis sive non adhibendis, jussa summi imperii magistratuum expectanda erant. Satrapes obligatus fuit, tali jussu copias suas militares regi, sive alicui duci militari, utendas dare; sin autem recusabat, haud secus ac si suo marte bellum gerebat, perduellionis et rebellionis noxius in jus vocandus erat. Cum Antigonus satrapes Magnae Phrygiae anno 322 recusaret quominus Perdiccae jussu Eumeni opitularetur ad Cappadociam occupandam, hanc ob causam ad regem vocatus, provinciaque sua dejectus est [2]; eodem modo anno 319 Arrhidaeus satrapes Phrygiae Minoris ab eodem Antigono evocatus est, ut se purgaret, et provincia sua spoliatus est, quod bellum suscepisset contra liberam urbem Graecam, nempe Cyzicum [3]. Sed tametsi hoc jus fuit, res gestae saepe prorsus ab eo recesserunt, multi satrapae, qui nullo timore supplicii cohiberentur, copiis suis suo arbitrio usi sunt. Insuper ratio inter satrapas et summum imperium prorsus mutata erat. Haesitabant ea praecipere quae extorqueri, vetare, quae impediri non potuerunt.

De numero quoque militum, quos quisque satrapes aleret oportuit, nimirum praecepta data erant. Sed imprimis hujus rei custodia difficillima erat eam ob causam quod

---

1) v. c. Diod. 19. 14. 5—8.
2) Plut. Eum. 3. Diod. 18. 23. 4.
3) Diod. 18. 52. 3.

satrapae cogi non potuerunt ut rationem redderent de administratione aerarii quod iis commissum erat.

Post Alexandri mortem enim omne genus expensorum, tam civilium quam militarium in satrapas transiit, qui etiam vectigalia exigebant. Ratio de impendiis provinciae, inter quae militaria profecto praecipua erant, nunc ab ipsis magistratibus ad thesaurum reddenda erat, ipsos ea quae tributorum supererant thesauro persolvere oportuit (cf. supra pag. 80) Undecim milia illa talentorum quae putabant Antigonum anno 315 in annum accipere posse e tributis Asiae (cf. supra p. 73 ann. 1) et quae nimirum etiam tum in thesauris asservabantur, donec Antigonus ea deposceret, fuerunt ut videtur summa eorum quae supererant. Quod autem a satrapis quoque ratio reddenda erat, patet ex aliquot locis supra citatis. Quam rationem profecto non recta reddiderunt apud summum imperium in Macedonia, sed ad suum thesaurum quisque.

Unum tantum exemplum huic opinioni impugnare videtur; Eumenes anno 321 tamquam strategus autocrator Asiae Minoris magnam vim equorum ex equitiis Phrygiae Minoris abduxerat, ut equitatum efficeret, syngrapham autem non misit ad thesaurum finitimum, sed recta ad procuratores imperii Antipatrum et Antigonum, utrumque tunc temporis degentem in Asia Minore. Antipater, accepta syngrapha cavillans dixit, Eumenem optime intellexisse quomodo res sese haberent, et jure agnovisse plus spei esse fore ut mox ille apud se rationem redderet de administratione ejus, quam ut ipse apud illum [1]). Sed ideo Eumenes hanc rationem et syngrapham ad imperii administrationem mittere debuit, quod attinebat ad emp-

---

[1]) Plut. Eum. 8. De equis Eumenis cf. Diod. 18. 29. 3, ubi dicit Diodorus eum illos sibi comparavisse ἐκ τῆς ἰδίας σατραπείας, injuria tamen, nam secundum Justin 13. 6. 14 tantum Caria, Lycia et Magna Phrygia Cappadociae adjuncta et ei adjudicata erant. Fortasse Justinus etiam spectat ad Phrygiam Minorem.

tionem equorum ex equitiis regiis, quae res ipsi a summi imperii magistratibus non permissa erat, quam equitiorum praefecti ei non nisi vi coacti concesserant.

Quod in universo satrapas rationes provinciarum suarum apud thesauros habere oportuit, luculenter apparet ex iis quae supra (pag. 77 ann. 2) dicta sunt de ratione quam Antigonus anno 316 a Seleuco postulavit propter Babyloniam.

Neque alio modo res sese habebat si ipsi thesauri sive amicitia, sive imbecillitate custodum in satraparum potestatem pervenerunt, ut Aegyptiacus inde ab anno 323 in Ptolemaei potestate fuit, ut Babylonicus inde ab anno 321 Seleuco traditus erat.

Hanc ob rem ratione accepti et expensi custodum thesaurorum etiam includebatur ratio satrapae de provincia sua, de reditibus et expensis; et quamdiu thesauri interdum a summa administratione imperii visebantur et dispungebantur, satrapes hac quoque in re summis magistratibus subjectus erat [1]).

Non antequam summa administratio thesauro, immo ipsa provincia interclusa est, haec ipso facto omnino ab imperio dissoluta est, ut Aegyptus jam statim inde ab anno 323. Maxime dolendum est, rerum scriptores hanc rem neglexisse et alto silentio praeteriisse, quasi res ipsa ferret, ut post annum 323 singuli satrapae provinciis suis tamquam reges dominarentur, et reditus ita adhiberent, ut ipsis placuerit. Si de hac re plura aetatem tulissent, tunc facilius dirimi potuisset, quemadmodum singulis locis singulis temporibus imperium Macedonicum steterit, et quando ipso facto interierit.

Nummi aurei et argentei quos satrapae percutiebant, adhuc insignibus Alexandri ornati erant, postea dissoluto imperio, satrapae nummos praeditos suis signis sive imagi-

---

1) Quod luculentissime apparet ex iis quae Antigonus anno 316 Babylone a Seleuco flagitaverit (pag. 77 ann. 2.)

nibus percutere coeperunt, quod satrapae sub regibus Persicis jam quarto seculo ante C. n. facere soliti erant [1]). Potestas autem satraparum tali modo aucta, fuit pretium quo Perdiccas anno 323 redemerit ut princeps imperii agnosceretur.

Sed jam statim apparuit ne hoc quidem pretium tantum fuisse, ut imperium in unum conjunctum teneret. Jam anno 323 enim fines imperii deminuti sunt. Ex quatuor satrapiis Indicis, quas Alexander instituit, quarum prima fuit Paropamisadis Oxyartis auspiciis subjecta, cum urbe Alexandria sub Caucaso (hodie Cabul) [2]); secunda India Superior cis Indum, sive vallis Cophenis fluminis, cui Porus praefectus erat; tertia India Superior trans Indum (Pendsjab) sub Taxile; quarta autem India Inferior ab utraque parte Indi fluminis ad mare, cujus caput fuit Pattala, postremo loco nominata, adempta est satrapae Peithòni Agenoris filio, qui hujus loco Indiam Superiorem cis Indum adeptus est, et finibus Pori regis adjecta est [3]); dubitari non potest quin hic ipse hac provincia potitus sit, quae ei anno 323 concessa est, quandoquidem res mutari non potuit [4]); revera hoc territorium ab imperio segregatum est; attamen brevi ante annum 316 praetori Macedonico Eudemo, qui tamquam ἐπίσκοπος Taxili adjunctus erat, contigit ut Porum interficeret [5]).

Res haud dissimilis anno 323 in parte quadam Mediae accidit. Alexander Atropati, Perdiccae socero hanc provinciam commiserat; nunc autem anno 323 Peitho Cratenae filius illic satrapes est, Atropates tamen magistratu non dejectus est, sed ei committitur ea pars Mediae quae

---

1) Droys. 2. 1. 22 et 91.

2) F. von Schwarz, Alexander des Grossen Feldzüge in Turkestan. München 1893 p. 102.

3) Arr. § 5 et 36 cf. Dexipp. fr. 1. Müller F. H. G. 3 p. 668. Diod. 18. 3. 4; 18. 6. 2; 18. 39. 6.

4) cf. Gutschmidt l.l. p. 21. ann. 3.

5) Diod. 19. 14. 8.

posthac Atropatene vocatur, verosimiliter provincia ei abrogari non potuit, hoc autem decreto pars illa Mediae ab imperio segregata est.

Etiam res a Ptolemaeo gestae nos dubitare faciunt, an Aegyptus jam statim post annum 323 ab imperio dissoluta sit, num provincia Ptolemaei umquam justo modo cum imperio conjuncta fuerit. Jam supra (pag. 93) demonstrare conati sumus provinciam aliquam tum demum ab imperio separatam habendam esse, si administratio thesauri prorsus a centro imperii segregata esset.

Profecto autem jam anno 323 Ptolemaeus thesaurum illum ad se traxit. Cleomenem enim (p. 68 et 69) specie repetundarum in jus vocavit, neque quicquam Perdiccam moratus, ei munus abrogavit; tum thesaurum Aegypti, tunc temporis octo milia talentum continentem, sibi occupavit; partem hujus pecuniae adhibuit, ut sibi amicos pararet inter proceres magistratus provinciae suae, ut conduceret magnam vim mercennariorum militum [1]). Mox exercitu Aegyptiaco usus est ut Cyrenaicam occuparet regnoque suo adjungeret; huc adde quod invito Perdicca corpus Alexandri in Aegyptum transportandum curavit, neque opus est dicere haec omnia repugnare iis conditionibus, quae vulgo comprobandae erant a satrapis summo imperio obnoxiis:

1°. Ut sese subjicerent jussis summae administrationis.
2°. Ne plus militum alerent, neve plus stipendii persolverent, quam iis lege concessum esset.
3°. Ne suo marte bellum gererent.
4°. Ut copiae eorum ad omnia bella a summa administratione edicta praesto essent, nimirum sumptu pecuniarum quae e tributis superessent [2]).

---

1) Paus. 1. 6. 1—3; Diod. 18. 14. 1.

2) Excipiendum est v. c. quod Eumenes e pecuniis quas ei e thesauris tollere licuit praetori Indico Eudemo summam ducentorum talentorum dono dedit, ipsius sumptu (Diod. 19. 15. 5.)

Si modo reliqui satrapae illis conditionibus obsecuti essent, profecto imperium quamvis laxo vinculo in unum conjunctum diu stare potuisset, tunc enim nihil jubendo, sese procul habendo a rebus provinciarum, invitis satrapis sese non immiscendo administrationi diversarum partium imperii, eodem modo quo Antipater sese procul a rebus Lysimachi habuit, pax servari potuisset.

Sed major pars satraparum perinde ac Ptolemaeus, non tantum jussis imperii non obsecuta est, immo hoc studuit ut aut universum imperium, aut saltem partem sibi subjiceret, ut dominaretur tamquam regulus omnino sui juris.

Ut Leonnatus, qui specie auxilii ferendi Antipatro contra Graecos, matrimonio suo cum Cleopatra summum imperium sibi vindicare in animo habuit, cui consilio autem immatura morte ejus finis impositus est.

Ut Antigonus satrapes Magnae Phrygiae cui negotium commissum est, ut Eumeni Cardiano auxilium ferret, ut is provinciam suam Cappadociam vi armorum occuparet, nec tamen ulla in re jussis summi imperii obsecutus est.

Solus Eumenes in omnibus rebus fidem debitam praestitit, hic semper sese praebuit fidissimum socium, et tandem unicum vindicem imperii in Asia.

Quid mirum igitur Antigonum illum a Perdicca provincia sua ejectum esse, Phrygiamque Eumeni datam esse [1]? Quamquam fieri non potuit quin haec res causa facta sit belli satraparum contra Perdiccam, praesertim cum hic, repudiata Nicaea, Antipatri filia, praefectum Macedoniae ad societatem cum Antigono adduxisset. Neque magis res gestae Ptolemaei a summo imperio tolerari potuerunt.

Sed ab altera parte consentaneum est suspicari, praecipue quaestionem de tributis quam maximas partes egisse,

---

[1]) cf. p. 91.

in rebus gestis tam contra Antigonum, quam contra Ptolemaeum. Jam supra indicatum est magnum locum tributis tribuendum esse inter praecipua jura summae potestatis [1]), Etiam indicatum est [2]) ea inde ab anno 323 nihil aliud fuisse nisi id quod supererat e sumptibus administrationis provinciae alicujus, quod in diversos thesauros imperii confluere debebat. Id autem omnino non fictitium fuisse ex hac re sequitur, quod, Antigono in Asia regnante inde ab anno 315 ad a. 312, quantum pertinet ad hujus fines, tributum Asiae constabat ex undecim milibus talentum. Hanc ob rem, quamvis alto silentio historia has res praetereat, facere non possumus quin suspicemur, thesauros illos et tributa illa maximum incitamentum fuisse ad bellum gerendum, imprimis a parte imperii. Nam etiamsi rationes Ptolemaei apud thesaurum apparuissent, quod sine dubio non ita fuit (cf. p. 95), tamen jam inde ab anno 323 Perdiccas thesauro interclusus erat; quod is nullo modo tolerare potuit; alioqui tota Aegyptus ab imperio dissoluta esset [3]).

Hanc eandem rem primas partes egisse tum cum Antigono provincia adimeretur, verosimile quidem est; mandatum adjuvandi Eumenem praetextum fortasse fuit, quo efficeret Perdiccas ut Antigonus pecunias residuas redderet per expensa in commodum imperii facienda.

Quidquid de hac re est, bellum jam brevi post exarsit, Perdiccas et Eumenes a parte imperii stabant, reliqui praetores sese contra eos conjunxerunt.

Non nostrum est totum illud bellum persequi; satis sit hoc memorare, bellum in Asia ab Eumene prospere gestum esse, Perdiccam autem, postquam repulsam tulit ad Nilum flumen in tentorio suo interfectum esse.

Morte Perdiccae primum spatium in historia imperii post

---

1) cf. p. 64.
2) p. 80.
3) cf. p. 93.

Alexandri mortem clausum est. Hic enim attendens ad statum satraparum post Alexandri mortem mutatum, optime intellexit quam difficile futurum esset imperium in unum conjunctum tenere; nunc enim, cum omne vinculum inter diversos magistratus sublatum esset, imperium tantum niti his tribus rebus; primo: nomine regum, et viribus supremi procuratoris imperii; secundo: bona mente satraparum et animo eorum parato ad oboediendum decretis imperii; tertio: statu, numero et animo exercitus; nam nunc cum cuique satrapae copiae suae praesto essent, seditiones non nisi vi armorum impediri, neque alio modo praeverti potuerunt, nisi demonstratione virium militarium. Et Perdiccas qui haec omnia optime intellexit, sese validissimum rectorem praestitit. Intellexit unicam viam, qua flagitari posset a satrapis, ut officiis suis erga imperium perfungerentur, hanc esse, quod summum imperium metuerent, quod satis validum id esse putarent ad cohibendos male parentes. Intellexit hoc praecipuum munus procuratoris esse ut sese prorsus officio suo dedicaret; ut cum regibus et cum valido exercitu in centro imperii esset, ut praesto esse posset, ubicumque res flagitabant. Hanc ob rem Babylonem tamquam sedem imperii confirmavit, quam urbem saepe tamen relinquebat, ut cum exercitu viseret diversas partes imperii, nec tamen diutius absens erat, quam singulae res, quae in ordinem cogendae erant, flagitabant.

Exercitus sub administratione ejus satis validus et magnus erat, copiis Macedonicis abundabat, magnam partem compositus erat militibus fortissimis et clarissimis Alexandri. Si Perdiccae fortuna magis propicia fuisset in expeditione contra Aegyptum hic sine ullo dubio imperium salvum reddere potuisset. Matrimonio cum Cleopatra sibi jus quoddam regiae dignitatis comparavisset, qua dignitate tamquam tutor regum perfungi potuisset; neque eos de medio tollere opus fuisset, cum ab altera parte fieri potuisset ut per Cleopatrae liberos regia domus e linea materna effloruisset.

Sed morte Antipatri haec omnia frustra facta sunt, haud ita multo post Triparadisi res imperii denuo constitutae sunt, successores ejus prorsus aliam rationem secuti sunt, quae necessario in perniciem imperii ductura erat.

---

§ 5. De finibus Imperii Macedonici in Europa quod anno 323 Antipatro commissum est; de Lysimachi regno.

Cum imperium Macedonicum post Alexandri mortem Babylone divisum est, Antipater, qui jam anno 336 summis rebus in Europa, tam reliquorum satraparum, quam provinciarum et gentium regi obnoxiarum praepositus erat, regnum Macedonicum in Europa administrare perrexit, vel potius iterum administrandum accepit (cf. p. 86 ann. 6). Auspiciis ejus Lysimacho provincia Thracia data est, qui, dum senex Antipater rebus praefuit, nulla in re hujus principatui adversatus est, quod ei omnino non molestus fuit (cf. p. 96).

Ante omnia alia quaestio nobis ponenda est, utrum fines imperii Macedonici in Europa, dum Alexander in Asia absens fuit, mutati sint, an per totam vitam ejus integri manserint. Arrianus in Epitome de rebus post Alexandrum § 7 responsum dat hoc modo describendo provinciam anno 323 Antipatro datam: *τὰ δ' ἐπέκεινα τῆς Θρᾴκης ὡς ἐπὶ Ἰλλυριοὺς καὶ Τριβαλλοὺς καὶ Ἀγριᾶνας καὶ αὐτὴ Μακεδονία, καὶ ἡ Ἤπειρος ὡς ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ Κεραύνια ἀνήκοντα καὶ οἱ Ἕλληνες σύμπαντες*, cum eodem loco addat Lysimachi provinciam: *Θρᾴκης καὶ Χερροννήσου καὶ ὅσα Θρᾳξὶ σύνορα ἔθνη ἐστε ἐπὶ θάλασσαν τὴν ἐπὶ Σαλμυδησσὸν τοῦ Εὐξείνου πόντου καθήκοντα* [1]). Et eodem fere modo Dexippus Antipatri provinciam describit, is enim etiam partem Epiri imperio

---

[1]) cf. Diod. 18. 3. 2. Paus. 1. 9. 5.

Macedonico adjungit cum scribat: ἐπὶ πᾶσι Μακεδόσι καὶ Ἕλλησι καὶ Ἰλλυριοῖς καὶ Τριβαλλοῖς καὶ Ἀγριᾶσι καὶ ὅσα τῆς Ἠπείρου ἔξετι Ἀλεξάνδρου στρατηγὸς αὐτοκράτωρ ἐτέτακτο [1]).

Quae cum ita sint, statuere licet fines imperii in Europa non admodum mutatos esse; fortasse aliquot gentes in Septentrione sejunctae sunt; sed pars septentrionalis Epiri ad Ceraunios montes usque provinciae addenda est, ceterum descriptiones nostrae congruunt cum regno ut a nobis in prima paragrapho hujus capitis descriptum est, eaedem fere gentes igitur diversis conditionibus conjunctae cum regno Macedonico geographico sensu, imperium Macedonicum in Europa efficere perrexerunt.

Ceterum e loco Arriani, quo hic describit provinciam Thraciam, non patet urbes ad litora maris Thracici sitas, Abdera, Maroneam et alias, Lysimachi provinciae adjunctas esse; consentaneum est suspicari illas eodem statu fuisse, quo sub Philippo et Alexandro fuerunt (cf. cap. I pag. 27); Chersonnesus autem nominatur ut pars provinciae Lysimachi: hac paeninsula autem transitui in Asiam dominatus est. Ergo Lysimachi provincia sese extendit Septentrionem versus in regiones mediterraneas, circa montem Rhodopen, Orientem versus autem ad Pontum Euxinum et Salmydessum agrum usque [2]); de gentibus ad Danuvium sedes habentibus, quae Alexandro foedere conjunctae erant (pag. 34 ann. 5), non amplius locutio est, fortasse post cladem Zopyrionis (326/25) sese in libertatem vindicaverunt. Altera quaestio est quibusnam in regionibus termini ponendi sint inter provincias Lysimachi et Antipatri. Jam supra, primo capite § 6 demonstrare conati sumus, Philippum fines ipsius regni Macedonici geographico sensu ita amplificavisse ut Nestus flumen terminus agri Macedonici factus sit, Alexan-

---

1) Dex. ap Phot. p. 64. cf. Droys. 2. 1. 32 ann. 3.

2) Strabo 319 συνάπτουσαι τῷ Σαλμυδησσῷ. Igitur non de urbe sed de agro loquitur cf. Strabo 50. Diod. 14. 37. 2. Herod. 4. 93. Xenoph. Anab. 7. 5. 12. Plinius 4. 45 solus est qui loquitur de oppido Halmydesso.

drum autem hanc rem non mutasse, quod a Strabone diversis locis confirmatur[1]).

Neque magis hic terminus sub diadochis mutatus est. Nestus flumen èt in regionibus superioribus, èt in regionibus mare versus terminus agri Macedonici mansit, provincia igitur Antipatri etiam amplectebatur Macedoniam adjectam quam dicunt.

Variis locis et factis haec res confirmatur. Primo loco Pausanias hujus rei nobis testis est. Hic enim 1. 9. 5 tradit Lysimachum regem fuisse gentium Macedoniae finitimarum, quibus Philippus et Alexander quoque imperaverunt; secundo loco autem 1. 10. 2 narrat Lysimachum post pugnam apud Amphipolin anni 288, cum Macedonia inter illum et Pyrrhum Epirotam divisa est, dominum factum esse *τῶν Νεστίων (καὶ) Μακεδόνων*, sine dubio spectans ad eas gentes quae inter Strymonem et Nestum flumina sedes habuere[2]). Illo ipso anno 288 igitur Strymon terminus regni Lysimachi factus est.

Duo alii loci confirmant etiam in regionibus superioribus Nestum flumen temporibus diadochorum disterminasse Macedoniam et Thraciam. Anno enim 310 cum Cassander opitulatus est Paeonibus contra Autariatas, Macedoniae princeps, barbaris illis ab eo profligatis, Orbelum montem, situm inter Nestum et Strymonem flumina, ultimam partem Macedoniae, sedem indicavit[3]). Vix opus est dicere, Cassandrum nullo modo has regiones barbaris illis sedem indicare potuisse, ni is ager Macedonicus fuisset.

Quod autem Nestus flumen per longam seriem annorum disterminavit Macedoniam et Thraciam, necessario sequitur ex diuturna et firmissima amicitia qua uti non desiere

---

1) Strabo 323. Strabo 331 fr. 33. *εἶτα τὸ Νέστου στόμα τοῦ διορίζοντος Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην ὡς Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος ὁ τούτου παῖς διώριζον ἐν ταῖς κατ' αὐτοὺς χρόνοις* cf. etiam fr. 35.

2) cf. Droys. 2. 2. 298.

3) Diod. 20. 19. 1; Justin 15. 2. 2.

Lysimachus et principes Macedoniae. Nam eodem modo quo jam Antipater amicitias gerebat cum Lysimacho, successores ejus quoque, imprimis Cassander, semper id studuerunt, ut usus cum finitimo quam gratissimus esset [1]). Quam ob rem facile eo adducimur ut suspicemur terminum Macedonicum a parte Thraciae non ante 288 mutatum esse.

---

§ 6. De bello Lamico et de Societate Hellenica; de bello Aetolico.

Philippus et Alexander synedrio Corinthiaco tantum non omnes Graecos societate sibi conjunxerunt, eosque eo modo sibi obnoxios reddiderunt ut primo capite demonstratum est. Sed morte Alexandri, res illic omnimodo mutatae et perturbatae sunt, prisca libertatis aviditas Graecorum denuo excitata est.

Jam omnium primi Rhodii nuncio de Alexandri morte allato jugum Macedonicum excusserunt [2]); historicus Theopompus qui adjutus ab Alexandro Chium in patriam reverterat denuo a popularibus pellitur, cum jam antea Ephesii praesidium Macedonicum ejecissent [3]).

Sed maximum periculum a parte ipsius Graeciae imminebat. Societas enim cum Macedonia a majore parte civitatium non tantum dissoluta est, sed insuper altera contra pristinum socium inita est, ut sese jugo Macedonico liberarent. Fuerunt Athenienses qui reliquas urbes ad bellum contra Macedoniam incitaverunt. Factio enim popularis

---

1) Diod. 20. 106. 3. Paus. 1. 10. 1. *Λυσιμάχῳ δὲ ἐπὶ μὲν Ἀριδαίου βασιλεύοντος καὶ ὕστερον Κασσάνδρου καὶ τῶν παίδων φιλία διέμεινε πρὸς Μακεδόνας.*

2) Diod. 18. 8. 1.

3) Schaef. Demosth. 3. 354 cf. autem. Droys. 2. 1. 45 ann. 2

Atheniensium, cui tunc temporis Hyperides orator praefuit, in universo Macedoniae inimica, tunc imprimis Alexandro et dominationi Macedonicae infestissima erat, propter edictum de exulum reditu [1]), parataque erat ut prima quaque occasione sese jugo molesto liberaret. Et forte fortuna accidit ut eo ipso anno 323 validissima fuerit, cum ei praesto esset pecunia, exercitus et optimus dux Leosthenes, unus ex praetoribus Alexandri. Hic enim, cum militum veteranorum haud contemnendum numerum in Taenaro collectum haberet, jam aliquamdiu clam agebat cum factione democratica Atheniensium, Macedoniae inimica [2]). Iidem illi cives Leostheni e thesauris Harpalicis, qui adhuc Athenis praesto erant, pecunias suppeditabant, quibus milites suos omnibus rebus, quae ad bellum opus essent, instrueret. Idem Leosthenes eodem modo clam conjunctus erat cum Aetolis, haud minus alienatis a rege animis, propter idem decretum de exulum reditu [3]). Itaque factio popularis omnia jam ante Alexandri mortem ad bellum parata habuit, necdum sese movit.

Sed nuntio allato de morte regis, statim rogatio ad populum fertur de jugo Macedonico excutiendo, de liberanda Graecia.

Demades factioni Macedonicae praepositus, Phocion cum amicis suis, moderatis viris, medium locum tenens, frustra rogationi adversati sunt, legati ab Antipatro missi ad periculum avertendum nihil effecerunt [4]): sententia popularium vicit, bellum decretum est, Leosthenes Athenas profectus exercitui praeficitur, epistolae per legatos ad reliquas urbes mittuntur, quas monerent: *ὅτι καὶ πρότερον μὲν ὁ δῆμος τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν κοινὴν εἶναι πατρίδα κρίνων τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἐπὶ δουλείᾳ στρατευσαμένους βαρβάρους ἠμύνατο κατὰ θάλατταν,*

---

1) Justin 13. 5. 2. Diod. 18. 8. 2.
2) Diod. 18. 9. 2.
3) Diod. 17. 111. 3.
4) Plut. Vit. X Orat. 850*a*.

καὶ νῦν οἴεται δεῖν ὑπὲρ τῆς κοινῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας καὶ σώμασι καὶ χρήμασι καὶ ναυσὶ προκινδυνεύειν [1]).

Et dum legati illi varias urbes adeunt, bellum jam exarsit. Cujus belli historia eo modo in unum cadit cum historia societatis quam Graeci tunc inierunt, ut omnino disjungi non possint, historia hujus belli eodem tempore sit historia societatis Hellenicae.

In duas partes autem utraque dividenda est, quae disterminantur morte Leosthenis et obsidione Lamiae urbis. Nam usque ad illud punctum temporis, simul cum rebus a Leosthene prospere gestis, etiam societas crescere perrexit; post hujus mortem autem, cum res adversae fierent, bellum quasi exstingueretur, eodem tempore societas quoque sensim paullatimque dilapsa est.

Leosthenes bellum suscepit proficiscendo in Aetolos cum militibus suis eosque socios sibi adscivit. Tum ad Thermopylas profectus, sibi deinceps adjunxit tantum non omnes urbes Thessaliae, Locros, Phocenses, eam partem Acarnaniae quae Aetolis subjecta erat, Aenianes Alyzaeos et Dolopes, insuper Athamanes, Leucadios, Molossos Aryptaeo duce, qui autem paullo post in partes Macedonicae se inclinavit, etiam partem Illyriorum et Thracum, qui odio in Macedones ad bellum trahebantur [2]). Sed eodem fere tempore sese Macedonibus applicaverunt: Boeoti, Euboeenses [3]), Carystiis exceptis, reliqua pars Acarnaniae quae sui juris erat, Lamia et Heraclea ad Thermopylas, Thebae Phthiotidae et Pelinna [4]). Hic fere status fuit societatis Hellenicae, cum post pugnam apud Heracleam Antipater Lamiae inclusus est.

Successu autem Atheniensium incitatae, commotae hortationibus legatorum in Peloponneso ambulantium, Hyperidis,

---

1) Diod. 18. 10.

2) Diod. 18. 11. 1. Paus. 1. 25. 3. Droys. 2. 1 52 ann. 2.

3) Droys. 2. 1. 50 ann. 3.

4) Schaefer Dem. 3. 365.

Polyeucti Sphettii, quibus Demosthenes exul comitabatur, illo ipso tempore dum Lamia obsidebatur, urbes Peloponnesi sese societati adjungere coeperunt [1]), contradicentibus quidem legatis Antipatri, adjutis a Pythea, Callimedonte, aliisque fugitivis Atheniensibus, qui Macedoniae favebant. Sed hi impedire non potuerunt quominus autumno tempore anni 323 aliquot urbes sese societati adjungerent. Omnium primi Sicyonii opem polliciti sunt, praesidioque Macedonico pulso, Athenienses adjuverunt per totum bellum èt militibus, èt omnibus aliis rebus quibus bello adjuvare solent, ut apparet ex inscriptionibus infra citatis [2]). Ex iisdem inscriptionibus apparet alias quoque urbes praesidia Macedonica ejecisse saltem, si non eodem modo quo Sicyonii Atheniensibus opitulati sunt. Non recte igitur Droysen 2. 1. 55 de iis scripsit: „Aber sie rückten nicht aus, vielleicht unter dem Vorwande dass Corinth ihnen den Weg „sperre." Corinthus sane eos impedivit quominus iter terra facerent, sed quidni mari transvecti sint, cum bellum maritimum nondum flagraret?

Atheniensibus autem sese applicaverunt Argei, Phliasii Sicyonii, Elei, Messenii incolae Actes [3]). De Arcadibus ambigitur tum inter veteres scriptores, cum inter sequiores, inter Plutarchum qui eos sociis adjungit, et Pausaniam qui eos neutrius facit. Droysen cum Plutarcho facit, Schaefer

---

1) Plut. Demosth. 27 *τὰ δ' Ἑλληνικὰ συνίσταντο πάλιν Λεωσθένους ἀνδραγαθοῦντος καὶ περιτειχίζοντος Ἀντιπατρον ἐν Λαμίᾳ πολιορκούμενον.* Diod. 18. 11. *τελευταῖοι δὲ τῶν Πελοποννησίων . . .*

2) C. I. A. IV. 2 p. 64 n. 231 b. Dittenb. 161. *ἐπειδὴ Εὔφρων . . . . (καὶ νῦν ἥκων παρ)ὰ τοῦ δήμου (τ)οῦ Σικυωνίων ἐπ(αγ)γ(έλλεται τὴν πόλιν) φίλην καὶ σύμμαχον (οὖσ)αν (ἀμυνεῖν κατὰ τῶν πολεμ)ίων τῶι δήμωι τ(ῶ)ι Ἀθηναίων (πρώτη)ν (τῶν ἐν Πελοποννη)ήσωι πόλεων.* C. I. A. IV. 2. p. 64 n°. 231 b. Dittenb. 163. . . . *ἐπὶ τοῦ πολέμο)υ τοῦ Ἑλληνικοῦ ὃν ἐ(σ)τ(ήσατο ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ὑ)πὲρ τῶν Ἑλλήνων, κατελθὼν Εὔφρων (ἐκ τῆς φυγῆς τήν τ)ε φρουρὰν ἐξέβαλε ἐκ τῆς ἀκ(ροπόλεως πρῶτον τῶν ἐν) Πελοποννήσωι πόλεων, καὶ ὅσον μὲν (χρ)ό(νο)ν (ἐπολέμε)ι ὁ δῆμος συνέπραττε τῶι δήμωι καί (συνεβοήθει στρ)ατιώταις καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι τοῖς κατὰ (τὸν πόλεμ)ον.*

3) Diod. 18. 11. 2. Paus. 1. 25. 3.

autem cum Pausania[1]). Neque magis ego rem dirimere ausim, tamen hoc argumentum opinioni vi. di. Schaefer favet, quod nulla causa fuit cur Megalopolis, quae urbs quieta mansit temporibus Polysperchontis, nunc sese moveret, a Macedonia deficeret.

Lacedaemonii contra, Achaei, Corinthii et Megarenses sese foederi non adjunxere, huc adde Megalopolin, et tuto perhiberi potest studium libertatis in Peloponneso non tantum fuisse, quantum expectari potuit.

Sed dum oratores Attici omnem operam dabant ut Peloponnesum societati suae adjungerent, dum revera societas Hellenica crescebat in Peloponneso, in ipsis locis ubi bellum gerebatur, foedus jam in eo erat ut dilaberetur, saltem debilitaretur. Aetoli enim auspiciis Leosthenis ad Lamiam stantes, universi autumno tempore domum reverterunt, quamcumque ob causam [2]), quarta pars exercitus hac re obsidioni detracta est. Aliud et sane maximum damnum fuit mors Leosthenis, quae sociis tantopere obfuit, ut inde ab hoc tempore fortuna Antipatro favisse non solum dici possit, sed etiam societas Hellenica dilabi coeperit. Nam sub successore Leosthenis Antiphilo, sive quod hic muneri suo impar erat, sive quia res foederatorum sensim paullatimque debilitabantur, fortuna secunda se a Graecis avertit. Non solum enim Aetoli domum abiere, neque reverterunt, alii socii quoque hieme castra reliquerunt [3]), cum contra vires Macedonum crescerent, primum Leonnati adventu, qui tamen mox acie caesus est, deinde Crateri, qui cum magna vi militum sese conjunxit cum Antipatro.

---

1) cf. Plut. Vit. X Orat. p. 846 *συνειπεῖν ἔπεισεν Δημοσθένης τοὺς Ἀρκάδας* contra Paus. 8. 6. 2 et 8. 27. 10. Droys. 2. 1. 55 ann. 2. Schaefer Demosth. 3. 369.

2) Diod. 18. 13. 4. *Αἰτωλοὶ . . . διά τινας ἐθνικὰς χρείας κατὰ τὸ παρὸν ἀπελθεῖν ἐπ' οἶκον.* cf. Droys. .2. 1. 58. Schaefer Dem. 3. 373 ann. 1.

3) Diod. 18. 15. 2; 18. 17. 1. Suid. v. *Ἀντίπατρος* 1: *ἀναχωρησάντων δὲ τῶν Αἰτωλῶν εἶτα τῶν ἄλλων ἔσωθη.*

Etiam res mari gestae a Macedonibus prosperae fuerunt [1]), donec tandem post pugnam apud Crannonem (mense Augusto anni 322) Antiphilus et Menon Thessalorum dux synedrium convocant ad consultandum utrum praestet pergere bellare, an de pace tractare. Major pars in pacem inclinabat, legati ad Antipatrum mittuntur, qui tamen tractare se negat cum societate quam non agnovit, scilicet cum videret laxum vinculum quo socii conjuncti essent, exspectaretque ut foedus per se ipsum facile dissolveretur. Sed ad tempus bellum continuatur, Macedones majorem Thessaliae partem in suam potestatem redigunt, eodemque tempore cum singulis sociis de pace tractare conantur. Hoc modo societas mox prorsus dissoluta est, soli Athenienses et Aetoli sociis privati sese contra hostem sustinuerunt (a⁰ 322).

Operae pretium est investigare quibusnam conditionibus societas illa a Graecis inita sit.

Principatus societatis penes Athenienses fuit [2]); synedrium non in ipsa urbe sed in castris praesto fuit [3]), ubi duces sociorum suffragia ferebant, summus dux autem eos consulit [4]). Dux Atheniensium hac dignitate ornatus erat, creatur autem a sociis [5]).

---

1) cf. Droys. 2. 1. 66 sqq.

2) Diod. 18. 10. Paus. 1. 25. 4. Dittenb. 161. vs. 12.

3) C. I. A. II. 249. Dittenb. 180. Τι)μοσθένης . . . (πεμφθεὶς ὑπὸ τῆς πόλεως σ)ύνεδρος ἐπὶ τ(ὸ σ)τρα(τόπεδον τὸ Ἀθηναίων καὶ τῶν) συμμάχων.

4) Diod. 18. 17. 6. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ Μένων μὲν καὶ Ἀντίφιλος οἱ τῶν Ἑλλήνων ἡγέμονες συνεδρεύσαντες ἐβουλεύσαντο.

5) Paus 1. 25 4. τοῦ παντὸς ἄρχειν ᾕρητο Ἀθηναῖος Λεωσθένης πόλεώς τε ἀξιώματι καὶ αὐτὸς εἶναι δοκῶν πολέμων ἔμπειρος. Facere non possum quin hoc loco dissentiam a v⁰ d⁰ Droysen, qui perhibet (2. 1. 60 ann. 4) ipsos Athenienses, non socios summum ducem elegisse, eodem Pausaniae loco nisus. Huic opinioni autem contradicit imprimis haec res, quod nondum socii fuerunt, cum Leosthenes cum exercitu in Aetoliam profectus est, nullo modo igitur sociis praefici potuit. Tum, si Leosthenes a civibus suis sociorum summus dux creatus esset, nulla causa fuisset cur Pausanias addidisset illud πόλεώς τε ἀξιώματι, prorsus enim sensu vacaret. Tertio,

Synedrium consulit de pace, et de continuando bello [1]).

Graeci sese societati applicaverunt aut κατ' ἔθνος, aut κατὰ πόλιν [2]).

De modo suffragia ferendi, de numero suffragiorum a singulis latorum nihil pro certo compertum habemus. Tamen suspicari ausim singulos socios singula suffragia tulisse. Vulgo autem putant viri docti secuti Kumanidis et vi di Koehler sententiam [3]), inscriptionem Atticam C. I. A. II 184 esse enumerationem sociorum et suffragiorum quae ab iis in synedrio lata sunt. Sed unde illi Ambraciotae, Perrhaebi, Zacynthii, Cephallenii in inscriptione nostra? Cur non a Diodoro memorantur, cum socios enumeret, cum ex insulanis tantum Leucadios commemoret? Ambraciotae neque magis in fontibus tamquam socii aetatem tulerunt neque apud Pausaniam, neque apud Diodorum, et tamen urbs fuit satis magni momenti. Sed omissa est, quoniam societati injuncta non erat. Ambraciotae enim anno 336 cum aliae urbes Graeciae subjectae sunt, ab Alexandro libertate donati erant (p. 62 ann. 1) democratia illic jam inde ab hoc tempore instituta erat [4]). Cum autem non pateat illos per Alexandri absentiam praesidio Macedonico oppressos esse, cur tandem societatem iniissent, sibi nullum commodum allaturam? Neque magis patet Ambraciam post Lamicum bellum in servitutem redactam esse, immo non ante annum fere 314 a Cassandro subjecta est [5]). Nullo modo igitur licet enumerare Ambraciam inter socios belli Lamici.

---

quod semper, vel anno 338 ipse Philippus II a sociis Graecis in synedrio Corinthi exercitui quo expeditionem in Asiam faceret praefectus est (cf. cap. I. p. 41). Ego potius crediderim societatem factam esse post pugnam apud Heracleam, et tum demum Leosthenem a sociis utpote civem Atheniensem summae rei praefectum esse, eodem modo quo post mortem ejus Antiphilus summus dux creatus est.

1) Diod. 18. 17. 6.

2) Diod. 18. 10. 5.

3) cf. Dittenb. 159.

4) Diod. 17. 3. 3; 17. 4. 3. cf. Schaefer Dem. 3. 95.

5) Kuhn. p. 83.

Postremo loco quod in hac inscriptione diversis sociis diversi numeri suffragiorum attribuuntur ab omni parte repugnat contra memorabilem illam evocationem Atheniensium ad libertatem [1]), contra democratiam ut inde ab Antalcidae pace in Graecia comprobabatur [2]). Foedere enim quod Athenienses anno 378 inierunt cum insulanis aliisque sociis contra Spartam [3]), jam constitutum erat ut singuli socii singula suffragia ferrent [4]), quam ob rem suspicari non licet Athenienses flagrante bello, cum ipsi alta voce reliquos Graecos ad libertatem evocarent, condiciones fecisse repugnantes moribus Graecis, quae necessario socios offensurae essent. His argumentis nisus, suspicor inscriptionem nostram nullo modo pertinere posse ad suffragia a sociis bello Lamico ferenda, potius crediderim, ratione habita de locis et numeris eam spectare ad legatos in singulas civitates mittendos, qui eas ad bellum incitarent [5]).

Discrimen inter hanc societatem et superiorem sine dubio ex hac re originem cepit, quod Athenienses coacti erant, omnia quae ad societatem pertinerent raptim et festinanter constituere. Vulgo autem antequam bellum susciperetur omnia ad hanc rem pertinentia constituta erant, principatus, urbs principalis, synedrium illic sedes habens, tempus per quod foedus staret [6]), suffragia ferenda, modus alendi exercitus, contributiones, auxilia, condiciones de pace facienda, de poena solvenda si quis sociorum foedus rumperet, uno verbo omnibus rebus prospectum erat [7]). Et nunc nihil tale

---

1) Diod. 18. 10.

2) Schaefer Dem. 1. 29 sqq.

3) C. I. A. II. 17. Dittenb. 80.

4) Plut. de Gloria Ath. 8. 350 A. *ἰσόψηφον αὐτοῖς τὴν Ἑλλάδα κατέστησαν πάσας δ'ὑπάρχειν αὐτονόμους ἡγέμοσι χρωμένους Ἀθηναίοις.* Diod. 15. 28. 4. *πόλιν δ'ἐπ' ἴσης καὶ μεγάλην καὶ μικρὰν μιᾶς ψήφου κυρίαν εἶναι ἡγεμόσι χρωμένας Ἀθηναίοις.* Xenoph. Hell. 7. 1. 1.

5) cf. Plut. Pericles 17.

6) C. I. A. IV. 2. p. 20 n. 59*b*. Dittenb. 108 vs. 12 Gilbert 2. 390.

7) cf. foedus anni 386 Chiorum et Atheniensium C. I. A. II. 15. Dittenb.

memoratur, exercitus mercennariorum militum ab Atheniensibus conductus, cui civis Atheniensis praeficitur, bellum suscipit, non antequam res laetae et prosperae erant, ille dux sibi novos socios adjungere potuit; synedrium in castris est, forte fortuna singuli socii sumptus ad alendum exercitum suum impendunt. Et laxum vinculum societatis etiam magis apparet e modo quo haec dissoluta est. Certo enim tempore universi Aetoli domum abeunt, cum post Leosthenis mortem res non ita florerent, alii socii eorum exemplum secuti sunt; Antipater cum singulis pacem facit; cum etiam mos esset, legatos missos ad pacem faciendam certa paciscendi auctoritate instructos esse, nihil de hac re in bello nostro patet [1]). Tandem Aetoli et Athenienses privati sociis soli hostes Macedonum supersunt.

Soluto foedere Antipater cum singulis pacem fecit, quibusnam conditionibus non compertum habemus, fortasse oligarchiae in urbibus institutae sunt, diversa loca saltem praesidiis Macedonicis munita sunt [2]).

Athenienses quoque tandem sese victoris fidei committere coacti sunt. Cum autem jam supra pag. 21 demonstrare conati simus quemadmodum Athenae e Macedonia pependerint post bellum Lamicum, cum res internae ipsius urbis ad propositum nostrum non pertineant, hoc loco satis sit memorare Antipatrum fugatis popularibus institutiones oligarchicas constituisse, crudelem in modum saeviisse in adversarios suos, in oratores et alios, praecipuo auctore Demade, urbemque Phocionis auspiciis commisisse; praesidium sub Menyllo praetore Munychiae imposuisse. De insulis et urbibus Atheniensium sociis hoc modo statuit

---

75; foedus anni 378 C. I. A. II. 17. Dittenb. 80; foedus Atheniensium cum Corcyra C. I. A. II. 49*b*; cf. etiam supra caput I § 10 de societate Philippi II cum Graecis.

1) Thucyd. 4. 119. 10.

2) Diod. 18. 69. 3; Paus. 7. 10. 4. Polyb. 9. 29. 2. C. I. A. IV 2 p. 64 n⁰. 231*b*. Dittenb. 163 v. 16 *ἐπειδὴ δὲ συνέβη τῆι Ἑλλάδι ἀτυχη(σ)άσ(ηι φρούρ)ας εἰσπέμπεσθαι εἰς τὰς πόλεις.*

Antipater. De Samo insula referendum erat ad principes qui Babylone erant, qui insulam reddiderunt civibus exulibus. Imbros et Oropos ab Athenis segregatae sunt, Lemnos tradita est Atheniensibus illic sedes habentibus [1]). Peloponneso praeficitur Dinarchus Corinthius [2]). Quamquam omnino non apparet quidnam hujus officium fuerit, potissimum crediderim eum summum praetorem creatum esse universorum praesidiorum quae in urbes Peleponnesi missa sunt, cum Antipater nullo modo violaverit autonomiam ipsarum urbium [3]), profecto nullum alium magistratum nisi praefectum militarem instituit.

Interim Aetoli sese in libertatem vindicare potuerunt. Subjectis enim Athenis a°. 322 Antipater et Craterus sese statim in eos converterunt quidem, sed non multo post, cum res Asiaticae eos illuc vocarent, pacem Aetolis concedere coacti fuerunt [4]). Hac pace constituta Antipater et Craterus cum exercitu in Asiam transierunt ut illic bellum gererent contra Eumenem, qui a sua parte Aetolos denuo ad bellum incitavit. Hi autem magno cum successu rem gerunt, Amphissa obsidetur, praetor Macedonicus ab iis acie victus et caesus est. Impressione facta in Thessaliam, etiam illic rem prospere gerunt, tamen domum reverti coguntur, nuncio allato de invasione Acarnanum in agros eorum; Thessalia deinde facile a Polysperchonte, qui ab Antipatro praetor in Europa relictus erat, sub Macedoniae potestatem redigitur [5]), a°. 321. Hoc bello finito potestas Macedonica in Graecia denuo firmata est, frustra Graeci conati erant libertatem reciperare, status non mutatus est ante mortem Antipatri.

---

1) Diod. 18. 18. 6. Plut. Phoc. 27 et 28

2) Suid. v. Δείναρχος.

3) cf. de hac re praeter ea quae capite I § 6 dicta sunt Plut. Agesil. 23 τὴν πόλιν (Spartam) ἔπεισεν κατέχειν τὴν Καδμείαν δι' ἑαυτῆς, τῶν δὲ πραγμάτων καὶ τῆς πολιτείας Ἀρχίαν καὶ Λεοντίδαν ἀποδεῖξαι κυρίους.

4) Diod. 18. 25. 5.

5) Diod. 18. 38. 6.

Appendix: De tempore quo Demosthenes Athenas redierit.

De tempore quo Demosthenes exilio finito Athenas redierit, ambigitur inter viros doctos. Justin 13. 5. 12 de eo scripsit: „missa ab Atheniensibus obviam nave ab exilio „revocatur. Interim in obsidione Antipatri Leosthenes dux „Atheniensium telo a muris in transeuntem jacto occiditur."

Falsa quidem haec. Droysen contra recte eum reverti facit post mortem Leosthenis, quamvis falso argumento usus. Loquitur enim de metu praetorum ab oratoribus [1]), nisus loco Plutarchi [2]), non recte vertens δεῖσθαι per metuendum. Schaefer 3. 370 autem cum Justino facit, reditum Demosthenis ponit ante Leosthenis mortem. Nec tamen hoc ei concedere possum. Leosthenes enim caesus est in fine mensis Novembri, faciamus paullo ante urbes Peloponnesiacas foederi Hellenico assumptas esse, quippe quae non ante res prospere gestas a Leosthene et Lamiam inclusam sese sociis adjunxerint [3]); tum nullo modo hoc fieri potuit nisi autumno tempore, brevi ante mortem Leosthenis. Ob egregia merita hac in re Demosthenes revocatus est. Scimus ob eadem merita decretum editum esse ab Atheniensibus in honorem Euphronis Sicyonii mense Decembri anni 323 [4]) eodem Euphrone auctore Sicyonios omnium primos Peloponnesiorum Atheniensibus opem tulisse. Deinceps aliae urbes Sicyonis exemplum secutae sunt, autumno tempore foedus constitutum est.

Faciamus nunc Demosthenis fautores id cogitasse ut efficerent ut quam celerrime revocaretur, tamen adversarii ejus,

---

1) Droys 2. 1. 62. ann. 1.

2) Plut. Comp. Demosth. et Cic. cap. 3. ὥστε καὶ τοὺς τῶν ὅπλων καὶ στρατοπέδων κυρίους δεῖσθαι, Δημοσθένους μὲν... Λεωσθένην.

3) Plut. Demosth. 27. τὰ δ' Ἑλληνικὰ συνίσταντο πάλιν, Λεωσθένους ἀνδραγαθοῦντος καὶ περιτειχίζοντος Ἀντίπατρον ἐν Λαμίᾳ πολιορκούμενον.

4) C. I. A. IV. 2 p. 64 n⁰. 231*b*. Dittenb. 161.

ut Hyperides[1]) tantopere viribus valebant, ut suspicari liceat aliquantum temporis effluxisse antequam decretum de eo revocando editum sit. Verosimiliter hoc exeunte mense Novembri sive initio Decembris factum est, si etiam ad hanc rem attendimus Demosthenem civem Atheniensem fuisse, Euphronem autem Sicyonium, illique utpote civi citius praemium virtutis datum esse quam peregrino.

Praeterea ara Jovis Liberatoris in finem anni ei construenda committitur, pecunia publica ei attributa, qua multam suam solveret[2]). Nec tamen mihi videtur necesse fuisse ut ipse Demosthenes hoc officio perfungeretur, cum specie tantum multae solvendae causa haec res ei commissa sit[3]). Quodsi Athenis fuisset, necessario orationem funebrem in Leosthenis honorem in Ceramico habuisset, neglecto Hyperide. Mos enim erat ut spectatissimus et clarissimus quisque solemni festo in fine anni orationem funebrem in honorem acie caesorum haberet[4]), quod negotium tam honorificum etiam anno 338 Demostheni commissum est, quamvis inimici ei adversati sint[5]). Profecto autem nunc demum post reditum ejus longe clarissimus omnium fuit[6]). Mea quidem sententia Diodorus 18. 13, cum scribat: „ὁ „μὲν δῆμος τῶν Ἀθηναίων τὸν ἐπιτάφιον ἔπαινον εἰπεῖν προσέταξεν „Ὑπερείδῃ .... κατ' ἐκεῖνον γὰρ τὸν καιρὸν ὁ μὲν κορυφαῖος τῶν „Ἀθήνησι ῥητόρων Δημοσθένης ἐπεφεύγει", causam explicat, excusationem quandam affert, cur Demosthenes, cui haec res utpote principi oratorum committenda fuisset, hanc

---

1) Droys. 2. 1. 61.

2) Schaefer Dem. 3. 370.

3) Plut. Demosth. 27. τῆς δὲ χρηματικῆς ζημίας αὐτῷ μενούσης ἐσοφίσαντο πρὸς τὸν νόμον.

4) Thuc. 2. 34 ἀνὴρ ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι καὶ ἀξιώματι προήκῃ.

5) Demosth. 320. 24 χειροτονῶν γὰρ ὁ δῆμος τὸν ἐροῦντ' ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσι παρ' αὐτὰ τὰ συμβάντα οὐ σὲ (scil. Aeschinem) ἐχειροτόνησε προβληθέντα οὐδὲ Δημάδην ... ἀλλ' ἐμέ. Plut. Demosth. 21.

6) Plut. Demosth. 27 ὡς βέλτιον Ἀλκιβιάδου κατίοντα.

orationem non habuerit. Praeterea Plutarchus spatium inde a reditu ejus, usque ad pugnam apud Crannonem (mense Augusto anni 322) breve vocat [1]).

Quae cum ita sint sic statuendum est: Decretum de reditu Demosthenis edictum est in fine mensis Novembris sive initio Decembris anni 323, ipse tamen non ante initium anni 322 rediit.

---

1) Plut. Demosth. 28. *οὐ μὴν ἐπὶ πόλυν χρόνον ἀπέλαυσε τῆς πατρίδος κατελθών.*

CAPUT III.

De Imperio Macedonico et de Macedonia inter annos 321—316.

§ 1. De rebus Triparadisi constitutis. Imperium Macedonicum sub Antipatro et Polysperchonte. Anno 316 imperium dissolutum est. Antigonus et Demetrius.

Post Perdiccae mortem ἡ ἐπιμελεία tam regum quam imperii vacabat. Postquam Ptolemaeus illam dignitatem recusavit in Aegypto ad tempus duobus viris, Peithoni Mediae satrapae, et Arrhidaeo commissa est [1]). In castris autem Triparadisi alii viri nominati sunt. Hoc ipso loco procuratores regii creati sunt Antipater et Antigonus [2]), ille autem αὐτοκράτωρ nominatus est [3]). Utrique insuper fuit alter titulus et alterum munus: Antipater strategus autocrator in Europa mansit, Antigonus eadem dignitate in Asia ornatus est [4]). Antigono fuit titulus στρατηγὸς τῆς

---

1) Diod. 18. 36. 6; et 18. 39. 2.

2) Plut. Eum. 6 utrique illum titulum tribuit.

3) Diod. 18. 39. 3.

4) Arrian. § 38. Plut. Eum. 8. App. Syr. 53 ἐπίσκοπος εἶναι τῆς ὅλης Ἀσίας ἐξ Ἀντιπάτρου περῶντος εἰς τὴν Εὐρώπην ἀπολελειμμένος. Diod. 18. 39. 7; 18. 40. 1. ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἀποδεδειγμένος στρατηγός. 18. 50. 1. ὑπ' Ἀντιπάτρου τῆς Ἀσίας στρατηγὸς αὐτοκράτωρ ᾑρημένος cf. Droys. 2. 1. 146 ann. 1.

βασιλικῆς δυναμέως [1]); qui quod ad gradum dignitatis attinet idem fuit ac priscum chiliarchi munus; in eo munere Cassander Antipatri filius ei hipparchi titulo adjunctus est, quamquam fontes eum chiliarchum nominant [2]). Nullo modo enim fieri potest ut huius munus fuerit verus Perdiccae chiliarchatus, primo cum audiamus eum in officio suo Antigono inferiorem mansisse, secundo loco quoniam traditum est, eum duobus annis post a patre in Macedonia chiliarchum nominatum esse [3]). Non verodissimile est igitur loco nostro quantum ad Cassandrum pertinet, non ad chiliarchatum, sed ad hipparchatum spectatum esse; anno 321 Seleuco successit, qui tunc satrapes Babyloniae constitutus est, nec tamen ante annum 319 in Macedoniam reversus, a patre titulum chiliarchi totius imperii accepit. Discrimen omnimodo patet, quamquam illis temporibus chiliarchi titulo fortasse in hipparchia quoque abusi sunt; quo loco Arrianus dicit Cassandrum anno 321 χιλιάρχην factum esse, addit tamen „τῆς ἵππου"; ubi Diodorus idem dicit, addit: „δευτερεύοντα κατὰ τὴν ἐξουσίαν. Confusio quaedam ex hac unica re originem cepit, quod scriptor aliquis, quem Diodorus sequitur, omnem operam dedit, ut dignitatem, qua Seleucus inter annos 323—321 fruitus est, eodem loco haberet, quo Hephaestionis et Perdiccae dignitatem anni 323, sine dubio id spectans ut adularetur regibus Syriacis; Diodorus dicit, tametsi hoc loco jure chiliarchi titulum omittit: ταύτης (τῆς ἱππαρχίας τῶν ἑταίρων) Ἡφαιστίων πρῶτος ἡγήσατο, μετὰ δὲ τοῦτον Περδίκκας, τριτος δ'ὁ προειρημένος Σέλευκος [4]). E quibus verbis Droysen 2. 1. 23 conclusit Seleucum anno 323 post Perdiccam chiliarchum creatum esse, in universo confundens summum hipparchatum et chiliarchatum.

---

1) Diod. 18. 39. 7. Arr. § 38.

2) Arrian § 38. Κάσσανδρον χιλιάρχην τῆς ἵππου. Diod. 18. 39. 7. παρέζευξε (ὁ Ἀντίπατρος) τῷ Ἀντιγόνῳ χιλίαρχον τὸν υἱὸν Κάσσανδρον, ὅπως μὴ δύνηται διαλαθεῖν ἰδιοπραγῶν.

3) Diod. 18. 48. 4; Plut. Phocion 31. init.

4) Diod. 18. 3. 4.

Initio etiam constitutum erat, ut Antigonus reges secum in castris haberet, perinde ac antea cum Perdicca fuerunt. Quae res autem jam brevi post ab Antipatro mutata est, cum in itinere quod fecit per Asiam Minorem ad sese conferendum in Macedoniam, in Phrygiam pervenit, ibique cum Antigono de ea re tractare coepit; concessit ei dimidiam partem exercitus, quem in eo erat ut in Macedoniam reduceret, et hujus loco veteranos milites qui parum utiles ad stipendia facienda erant, ab Antigono accepit, res illi quidem maximi commodi, sed ab altera parte reges ei adempti sunt, quos Antipater in Macedoniam transduxit [1]). Antipater id spectasse videtur ut una cum regibus dignitatem quoque *τοῦ ἐπιμελητοῦ τῆς βασιλείας* Antigono adimeret; is autem ad tempus dumtaxat se quietum tenuit, quo facilius curaret ut postea dignitas sua a reliquis principibus agnosceretur.

Antipater summo imperio praepositus prorsus diversam rationem agendi secutus est ac Perdiccas, quae ratio sine dubio elementa continebat, quae imperium in interitum deductura essent.

Omnium primum pristino munere et officio in Macedonia sese tamquam procurator imperii abdicare debuerat; quod tamen in animo non habuit; contra, conatus est conjungere administrationem universi imperii cum dignitate, quae eum exiguae parti, nempe Macedoniae, devinciret; ubi cum antehac dominatus esset, brevi postquam procurator imperii creatus est, denuo eo se contulit. Quae autem duae res conjungi non poterant sine magno imperii damno. Cum Macedoniam gubernaret, ibique sedes haberet, Antipater ipso facto satrapae instar fuit, hac in re enim dignitate et auctoritate reliquis satrapis compar fuit. Quodsi ab altera parte superiorem gradum, universum imperium sibi vindicavit, hoc ipsum satrapis merae arrogantiae esse visum est.

---

1) Arr. § 42 et 43. C. Müller in scriptt. rer. Al. Didot p. 247 legit *ἱππέας τῶν ἑτέρων ἴσους*, quod vertit per „equitum vero externorum parem numerum." Legendum est scilicet *ἱππέας τῶν ἑταίρων*.

Jure iis dicere licuit: nobis concede fines nostros et libertatem; tua enim non magis nobis vindicamus. Hoc modo sibi visi sunt libertate frui, non cohibiti majore auctoritate, et ea res tam cito inveteravit, ut jam mox nullo modo amplius tolli potuerit. Nimirum in deterius versa est res, cum Antipater anno 319 Polysperchontem successorem suum indicavit. Antipatrum tantum non omnes proceres Macedones magnopere reverebantur; in Asia coram principibus et exercitu creatus erat; vel ipse Antigonus vivo illo amicitiam rumpere haesitavit; et studia sua ambitiosa compescuit. Sed Polysperchon non is fuit qui principes eo adduceret ut agnoscerent jus ejus universi imperii administrandi. Ab omnibus is habebatur, qui etiam plus merito honoribus ornatus esset, si eodem ordine esset ac ipsi, si ei regnum in Europa administrandum commissum esset; proceres Macedones non tantum nullo modo id agitabant ut ei morem gererent; contra, major pars recusavit eum agnoscere, Cassander hac in re auctor fuit et Antigonus, Lysimachus et Ptolemaeus exemplum ejus secuti sunt.

Ceterum quaestio fuit, num Antipatro jus fuerit successorem nominandi. Ubinam enim fuit nobilitas et plebs Macedonica?

Anno 322 et 321 hoc responsum datum erat: non in Macedonia, sed in castris: plebs est exercitus regius [1]), a quo res dirimatur oportet. Nobiles qui absentes fuerunt, contenderunt decreta Pellae facta nullo modo ad se pertinere. Haec fortasse una ex causis fuerit, cur Antigonus Lysimachus et Ptolemaeus recusaverint quominus Polysperchontem agnoscerent ut summum procuratorem cf. infra pag. 125.

Duo alia vitia per semet ipsa aeque periculosa, cum hoc primo vitio Antipatri cohaerebant. Antipater auctor fuit ut reges quoque relicta Asia sedem in Macedoniam transportarent. Imperium regium hac unica conditione universo imperio

---

1) Diod. 18. 30. 2; 18. 36. 6.

utile esse potuit, si centrum imperii aequo modo cum omnibus provinciis connexum esset, si eadem ratio inter omnes imperii partes servaretur. Recedendo in patriam Macedonicam, strategus huic provinciae praefectus eorum nomine et praesentia illustrior saltem factus est, sed eodem tempore satrapae in reliquis provinciis, in Thracia atque in Asia nullo modo amplius eorum nomine et praesentia cohibebantur. Hac migratione igitur reges ipsi aequabilitatem illam confregerunt, ipsi auctores facti sunt illius opinionis, Macedoniam ad reges, Thraciam autem et provincias Asiaticas ad satrapas pertinere. Decessio ex Asia eodem fere rediit quasi palam Asia desisterent, et palam non solum disjunctionem Asiae et Europae, sed etiam Thraciae et Macedoniae pronunciarent. Hanc ob causam posthac nullius momenti fuerunt ad imperium in unum cohibendum.

Apud majorem partem satraparum species quaedam reverentiae erga regiam familiam sane mansit, apud nonnullos vera fides et studium, vel ii qui minime propensi erant ad patiendum, ne qua in re libertas sua imminueretur, tamen verbo tenus magnam reverentiam regii nominis simulabant [1]). Apud nonullos nihil nisi formula fuit, et interdum tamquam praetexto aggrediendi summam administrationem abusi sunt [2]); sed major pars sincere id studebat ut sese fidam praestaret, si modo utilitatis suae curae non repugnaret; imprimis fides multorum e custodibus thesaurorum, reverentia eorum erga mandata regis, cum omnibus modis negarent bona sibi commissa iis concedere, qui sine regia auctoritate haec sibi vindicabant, haec res (ut jam supra p. 77 dictum est) aliquantisper nomini regio in Asia haud spernendam auctoritatem dedit.

---

1) Responsum v. c. a Seleuco et Peithone Eumeni datum, cum hic anno 317 ex Orientali parte Asiae iter faciens, regio nomine ab iis quaedam flagitaret, postulata quidem recusavit, sed eodem tempore eorum fidem erga regem manifestavit Diod. 19. 12. 2.

2) v. c. apud Antigonum post Eumenis interitum, in certamine ejus cum Cassandro.

Sed neque magis illi per longum tempus hac in re perseverare potuerunt, si quidem non protegerentur, neque gratiae iis referrentur, quam satrapae in fide sua perseverabant, cum vindicem manum non amplius imminentem viderent.

Praecipue veteranis militibus Macedonicis in Asia, qui sub Alexandro stipendia fecerunt, nomen regium aliquamdiu verbum magicum fuit, quod numquam, ne apud eos quidem qui apud Antigonum stipendia fecerunt, effectu careret [1]). Quae res tamen sensim paullatimque imminuta est, prout veterani illi milites interibant, tironesque in eorum locum succedebant. Ceterum exercitu imperiali, postquam Antipater procurator regius creatus est, non amplius utebantur, quo imperium confirmarent, et haec demum fuit tertia consequentia quae ex hujus errore profluxit. Nam reditu suo in Macedoniam Antipater coactus erat aut secum reducere exercitum ex Asia, aut alterum ducem huic praeficere. Si primum fecisset, eodem tempore omne praesidium quo imperii administratio auctoritatem suam in Asia sustineret, sustulisset; sed ex altero consilio, quod etiam exsecutus est, necessario res profluxerunt ab omni parte perniciosae imperio; quod etiam eventu confirmatum est. Antigonus enim exercitu illo mox usus est, quo contra ipsum imperium bellum gereret, quo id efficeret ut postremus vindex imperii in Asia, Eumenes, exstingueretur.

Forte fortuna enim accidit, ut exeunte anno 319 pars exercitus exigua quidem, sed maximi momenti, tria milia illa argyraspidarum ab Antigono libera, Eumeni praesto fuerint, adeo ut huic copia data sit defendendi per eos res Macedonicas in Asia claro illo modo. Eumenes sponte sese vindicem imperii obtulit, belligeravit cum Antigono, omnes

---

1) cf. narratiunculam apud Plut. Eum. 12. de lepido modo quo Eumenes reverentia illa militum abusus sit, ut Antigonum deciperet, ut aliam pactionem quam hic fecit jure jurando confirmaret, adeo ut nulla re Antigono concessa Noram reliquerit.

vires universae Asiae Superioris pro regibus et Polysperchonte contra eum in unum conjunxit.

Postquam anno 316 in illo certamine interiit nullus amplius vindex imperii in Asia extitit. Et eodem tempore Polysperchon turpiter fugatus est, rex captivus factus est apud Cassandrum, Antigonus Eumenis officia ad se traxit, omnia vincula quae adhuc imperium in unum conjunxerunt confracta sunt.

Jam supra variis locis (pag. 77. 90. 93. 95.) attendimus ad partes magnas a thesauris actas in imperio Alexandri, quomodo illi ipsi thesauri indicio fuerint utrum provincia aliqua ad imperium pertinuerit an non. Sic jam vidimus (pag. 95) Aegyptum inde ab anno 323 tamquam a Macedonia disjunctam habendam esse; sic Lysimachus, cum Antipatro in hac re morem gerere non destitit, post mortem ejus, cum Polysperchontem non agnosceret ut procuratorem imperii, profecto passus non est hunc rationes suas cognoscere.

Thesauri Asiae Superioris verosimiliter usque ad annum 316 auspiciis Macedonicis administrati sunt, quamquam per annos 317 et 316 id quod supererat, sine dubio devoratum est bellis a satrapis, qui cum Eumene foedere conjuncti erant, gestis.

Sed postquam Antigonus victor evasit thesauri illi non amplius ad imperium Macedonicum pertinuerunt. Unicus thesaurus quoque Asiae Minoris, cuius memoria aetatem tulit, nempe Cyindae, anno 315 perinde in manus Antigoni pervenit [1]), cum jam inde ab anno 318 in satrapiis Asiae Minoris nulla amplius tributa ad thesauros solverentur. E quibus omnibus patet annum 316, si quidem licet thesauros hac in re nobis duces praesto esse, tamquam finem imperii ponendum esse, cum res pecuniaria, semper praecipuum vinculum, inde ab hoc anno nullo amplius modo ad imperium pertineret.

---

[1]) Diod. 19. 56. 5.

Quonam jure autem Antigonus thesauros ad se traxerit ex sequentibus apparere potest.

Pro certo habendum est Antigonum jam inde ab anno 321 munus procuratoris imperii sibi vindicasse. Verum sane est apud Diodorum hujus rei nullam mentionem fieri; Diodorus id tantum dicit, Antigonum constituisse post Antipatri mortem *μὴ προσέχειν μήτε τοῖς βασιλεῦσι μήτε τοῖς ἐπιμελητα῞ς αὐτῶν* [1]). Sed factum constat concionem Macedonum Triparadisi anno 321 reges Antigoni custodiae commisisse [2]), eosque revera aliquot menses in castris ejus adfuisse [3]), itaque ei quoque gradum epimeletae regum fuisse [4]), quamquam Diodorus nihil de hac re commemorat. Ergo multo verisimilius est Antigonum haec ipsa facta jam anno 318 testimonii causa interposuisse, ut jura sua vindicaret quam eum, cum opus non esset, virum seditiosum se profiteri maluisse. Quod attinet ad ipsas res, haec quaestio nimirum nihil refert, sed quod ad modum attinet, quo res animo concipiendae sint, multum interest, utrum putemus Antigono secundum suam opinionem jus procurationis imperii fuisse, et jus agendi nomine regum, an non.

Si primum verum est, non licet, ut vulgo fit, contemplari res annis 319 et 318 ab Antigono gestas neque eas quas postea annis 316 et 315 commiserit, post Asiam expugnatam, tamquam mera facta usurpatoris. Nam eo modo nimirum ab iis considerabatur, qui jus ejus non agnoscerent. Jus Antigoni autem suo ipsius judicio profecto nitebatur decreto Macedonum Triparadisi factum. Quod paullo post anno 318 ab Eurydice regina per paucos dies quibus summa auctoritate in Macedonia functa est etiam confirmatum est, committendo ei una cum Cassandro regni administrationem [5]).

---

1) Diod. 18. 50. 2.

2) Arr. § 38. *Ἀντιγόνῳ τοὺς βασιλέας φρουρεῖν τε καὶ θεραπεύειν προστάξας.*

3) Arr. § 42. cf. p. 117.

4) Plut. Eum. 8. pag. 115 ann. 2.

5) Justin 14. 5. 3.

Neque magis perhiberi potest, Antigonum jus suum summi imperii administrandi niti voluisse dignitate strategi autocratoris Asiae; neque enim ipse, neque filius ejus Demetrius juribus suis modum fecere Asiam tantum sibi vindicando, sed post annum 316 perinde in Macedonia quoque et Graecia ea diversis modis et temporibus persequi conati sunt; neque minus utpote strategus autocrator obligatus fuisset, ut rationem redderet de pecuniis a se expensis [1]).

Post Antipatri mortem Antigonus contendit se esse unicum legitimum epimeletam regum, summumque praefectum totius imperii cum in Asia, tum in Europa. Hac re nisus in Asia Minore satrapas ad se in jus vocavit (e. g. Arrhidaeum Phrygiae Minoris), multos alios munere dejecit, alios creavit, thesauros imperii ad suas necessitates exhausit, Babylone conatus est cogere Seleucum reddere rationem apud se (a°. 316), bella gessit cum Cassandro et Ptolemaeo.

Hoc idem jus est, quo Antigonus pace anni 311 sese abdicavit, sed quod denuo flagrante bello sibi rursus vindicavit, quod filius ejus Demetrius ab eo accepit; quo is nisus est cum postea anno 306 regio titulo a patre assumpto regiam dignitatem nullius reliquorum diadochorum agnoscere voluerit, immo vel in ludibrium verterit [2]). Post mortem Polysperchontis Antigonus et post eum filius eius Demetrius solus inter diadochos fuit, qui revera contenderit, sibi certam causam, quamvis debilem, esse, cur universo imperio dominaretur.

Quae cum ita sint inde ab anno 316 Antigonum, et post eum filium Demetrium Poliorceten agnoscamus ut vindices et propugnatores notionis imperii Macedonici necesse est, si modo de illo imperio adhuc loqui licet, primo cum non amplius ipso facto existeret, sed dumtaxat desiderio et jure horum principum; et secundo cum dominatio Macedoniae

---

1) cf. pag. 90. ann. 6.

2) Plut. Demetr. 25.

adhuc ab iis usurpanda esset; tertio, praesertim cum inde ab anno 311 nulli heredes legitimi Alexandri, nulli amplius reges hujus imperii, praesto essent.

§ 2. De bellis gestis inter Polysperchontem et Cassandrum (319—316.) Libertas Graeciae.

Morte Antipatri varia elementa in imperio praesto fuerunt, ita inter se dissentientia ut fieri non potuerit, quin mox bellum exarsurum esset. Si initium facimus a domo regia, primum nobis obvia est Olympias regia mater, tutrix Alexandri infantis, in Epiro vitam degens, quae cum in praesens ab Eumene tantum agnosceretur [1]), mox causam suam cum Polysperchonte junctura erat. Infestissima ipsis rebus fuit Arrhidaeo et Eurydicae qui procuratoris auspiciis solium regium occupatum tenebant.

Tum inter principes primo loco nominandus est Antigonus, qui juxta dignitatem suam epimeletae regum (cf. p. 122) etiam majora capessebat [2]); Polysperchon nuperrime procurator imperii creatus; Lysimachus et Ptolemaeus, qui eum non agnoverunt; Cassander a patre chiliarchus constitutus. Satis materiei igitur qua bellum acerrimum mox exarsurum erat.

Cassander initium rei fecit. Statim post mortem patris, antequam nuncius illuc perveniret, Nicanorem Stagiritam sibi maxime devinctum in Atticam misit, ut Menylli loco praesidio Munychiae praeesset (p. 110), cum eodem tempore tractare coeperit cum magistratibus oligarchicis in Graecia, ut suam et eorum potestatem, quae niteretur praesidiis ubique positis, confirmaret. Ipse Cassander autem

---

1) Plut. Eum. 12.

2) Diod. 18. 54. 4. *ὅπως αὐτὸς ἀκινδύνως τὴν Ἀσίαν ἐπέλθῃ καὶ τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν εἰς ἑαυτὸν περιστήσῃ.*

sese primum rus contulit, deinde societate cnm Ptolemaeo inita, in Asiam ad Antigonum se contulit, qui spe summi imperii ἔγνω μὴ προσέχειν μήτε τοῖς βασιλεῦσι μήτε τοῖς ἐπιμελητοῖς αὐτῶν [1]), et is Cassandrum magno cum gaudio excepit, profecto quod neque magis Polysperchontem agnovit, cum hic non legitime creatus esset. (cf. p. 118.)

Nec tamen statui potest, quomodo creatus sit. Si autem ad hanc rem attendimus quod a nullo fere principum agnitus est ut procurator imperii; si secundo loco accipimus, Cassandrum etiam post patris mortem nullo alio modo quam antea favere perrexisse hujus partibus et amicis [2]); cum deinde nullo loco quicquam pateat de ira ejus in Antipatrum propter contumeliam qua pater eum affecit; cum insuper Antigonus prisca amicitia erga patrem praetexto usus societatem cum filio inierit [3]); si etiam constat Polysperchontis conditionem in imperio non eam fuisse, ut ei summa res committeretur, et si postremo loco rationem habemus de prudentia ejus et reverentia erga nobilitatem [4]), quae sane debilem ejus positionem indicant, tum nisus loco Diodori 18. 54. 2 [5]) suspicari ausim eum, doloso aliquo modo a factione politica potentissima, Antipatro autem adversaria, creatum esse, et senem capularem rebus coactum esse ut eum in munere suo confirmaret.

Vires igitur Cassandri inde ab initio haud spernendae erant; Graecia et potentissimi duces Alexandri ei favebant. Polysperchon qui nihil aliud expectare potuit, quam ut certamen sibi foret cum acerrimis adversariis, postquam cognovit

---

1) Diod. 18. 50. 2.

2) Diod. 18. 55. 2. Κάσσανδρος μὲν . . . τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πόλεων ἀνθέξεται διὰ τὸ τὰς μὲν αὐτῶν πατρικαῖς φρουραῖς φυλάττεσθαι . . . . κυριευομένας ὑπὸ τῶν Ἀντιπάτρου φίλων καὶ ξένων.

3) Diod. 18. 54. 4. Ταῦτα δ' ἔπραττε (Antigonus scil.) προσποιούμενος διὰ τὴν πρὸς Ἀντίπατρον φιλίαν συνεργεῖν.

4) Diod. 18. 55. 1. cf. Diod. 18. 69. 4.

5) Diod. 18. 54. 2. Ὁρῶν δὲ τὴν Μακεδόνων ὁρμὴν κεκλιμένην πρὸς τὸν Πολυσπέρχοντα.

Cassandrum bellum parare, etiam vires suas augere conatus est. Contione amicorum regiorum habita, decretum est ut libertas in Graecia restitueretur, itaque Polysperchon sese vertit ad factionem popularem Graeciae, nuperrime ab Antipatro pulsam et oppressam. Philippi nomine decrevit ut Graecis omnia jura et instituta quibus sub Philippo et Alexandro fruiti essent, redderentur, excusavitque quod cum nonnullae Graeciae civitates, non recte sentientes, bellum Macedonibus intulissent, victique essent, multa et molesta passae essent, sed addidit: „vobis persuasum „habeatis non nos, sed praetores nostros harum calamitatum „auctores fuisse. Nos autem prisca instituta in honore „habentes, vobis pacem paramus, et instituta, ut fuerunt „sub Philippo et Alexandro regibus, vobis reddimus, et „copiam damus res administrandi, ut antea ab iis praescrip„tum est. Exules et eos qui inde ab eo tempore, quo „Alexander ia Asiam transiit, a ducibus nostris patriis ex„pulsi sunt, reducimus, paucis exceptis. Si quae sunt insti„tuta, quae Philippus et Alexander ipsis contraria edide„runt, ad nos veniunto, ut rebus mutatis, denuo ad utilitatem „nostram et urbis res administrent. Ut Atheniensium sint „cetera quae sub Philippo et Alexandro, ut Oropiorum „tamen sit Oropos uti nunc. Samum autem Atheniensibus „tradimus, quoniam Philippus pater antea dedit. Ut omnes „Graeci decretum faciant, ne quis stipendia, neve quid hostile „contra nos faciat[1]."

Sine dubio speciosae res fuerunt quas Polysperchon pollicitus est, quamquam ab altera parte fieri non potuit quin ipsum decretum maximas calamitates Graecis allaturum esset. Hoc decreto enim Graecia a Polysperchonte in duas partes, non amplius aut amicas aut adversarias Macedoniae, sed aut Cassandro, aut novo procuratori faventes, divisa est. Hoc ipso decreto dominatio Macedonica Graecis in veram calamitatem versa est; nunc enim praetores dissen-

---

[1]) Diod. 18. 56.

siones suas in Graeciam quoque transtulerunt, res sociorum suis utilitatibus posthabuerunt. Nam Polysperchon optime intellexit se, cum populares ad se traheret, eodem tempore optimates, nuper ab Antipatro confirmatos, non solum sibi adversarios paraturum esse, sed etiam partes politicas ita sollicitaturum esse, ut necessario bellum intestinum inde secuturum esset [1]).

Insuper optimates èt conjunctione cum potentissimis praetoribus, èt natura ipsa rerum, jam validiores erant [2]). Quid contra populares expectare potuerunt a conjunctione cum procuratore regio et per eum cum familia regia? Quid magis praeter naturam rerum esse potuit? Sed hoc nihil ad Polysperchontem, qui praeter hoc vitium, eodem tempore alterum, idque fortasse majus commiserit, quaerendo amicitiam Olympiadis matris Alexandri. Quomodo enim fieri potuit, ut in unum conjungerentur Philippus Arrhidaeus et Eurydice, quibus Polysperchon ipsis rebus conjunctus fuit, democratia Graeca et regia mater, quae semet ipsam considerabat tamquam solam personam, quae legitime tutelam gereret heredis unice legitimi, nempe infantis Alexandri. Apparet quidem jam inde ab initio Olympiadem nullam fidem novae amicitiae habuisse, literas enim ad Eumenem misit, quidnam sibi faciendum esset, responsoque accepto, sese ad tempus quietam tenuit in Epiro [3]).

Conjunctione cum Olympiade Polysperchon hoc unum magnum commodum adeptus est, quod Eumenes, quamquam recusavit quominus communi consilio cum Polysperchonte procurationem imperii gereret, inde abhinc in Asia, ubi jura regiae domus vindicabat, partibus Polysperchontis favebat,

---

1) Plut. Phoc. 32. *Συσκευαζόμενος γὰρ εἰς ἑαυτὸν ὁ Πολυσπέρχων τὴν πόλιν οὐδὲν ᾤλπιζε περαίνειν μὴ τοῦ Φωκίωνος ἐκπεσόντος.*

2) Diod. 18. 55. 2.

3) Nepos Eum. 6. „huic ille primum suasit, ne se moveret et expectaret „quoad Alexandri filius regnum adipisceretur." Diod. 18. 58. 4. *Ὁ δ' Εὐμένης πρὸς μὲν Ὀλυμπιάδα παραχρῆμα ἀντέγραψε, συμβουλεύων κατὰ τὸ πάρον μένειν ἐν Ἠπείρῳ, μέχρι ἂν ὁ πόλεμος λάβῃ τινὰ κρίσιν.*

bellum pro eo gerebat contra Antigonum et reliquos Cassandri socios (supr. p. 120).

Eventus tamen docuit res Polysperchontis inde ab initio desperatas fuisse. In Graecia decreto ejus magnus tumultus coortus est. Plebs omnibus fere locis seditiones fecit, hortante Polysperchonte oligarchiae Argis aliisque urbibus pelluntur, nonnulli capitis damnantur, bona eorum publicantur [1]), scilicet ut hoc modo Cassandri partes debilitarent.

Athenis tamen ad tempus omnia quieta manserunt, donec Alexander Polysperchontis filius cum manu militum, comitantibus civibus exulibus omnique genere hominum ad urbem pervenit. Tum demum Phocion magistratu deturbatus est, salutem apud Alexandrum petiit, qui eum misit ad patrem ad Pharygas stantem.

Hic autem eum in vincula conjecit, cum reliquis amicis Athenas remisit, ubi capitis damnatus, veneno absumptus est; Dinarchus, praefectus Peloponnesi sub Antipatro, jam statim in ipsis castris a Polysperchonte necatus est (a°. 318).

Nec tamen quicquam plebs hoc scelere profecit. Nicanor enim, quamquam mortem Phocionis praevertere non potuit adhuc sese sustinuit in stationibus ab eo occupatis, Cassandro autem qui ex Asia in Piraeum pervenit, hunc locum custodiendum tradidit. Polysperchon ipse frustra obsidere conatus est Cassandrum, et inopia coactus est infecta re in Peloponnesum regredi, parva manu sub Alexandro in Attica relicta. Deinde consilia sua exsequi conatus est, convocavit synedros, non priscos synedros societatis Corinthiacae ut perhibet Niese 1. 244, etenim haec societas ipso Lamico bello dissoluta erat, cum insuper Diodorus 18. 69. 3 dicat eum *συνέδρους* convocasse, ubi sine dubio scripsisset *τοὺς συνέδρους* si ad priscam societatem spectasset. Injuria enim Niese l. l. perhibet Antipatrum societatem illam post bellum Lamicum integram servasse, quod dominatio Macedonica in

---

1) Diod. 18. 57. 1.

Graecia hac societate niteretur. Sub Philippo et Alexandro hoc quidem verum est, sed Antipatri genus dominationis prorsus discrepabat a praecedenti, (cf. supra p. 110 sqq.) quod insuper confirmatur verbis ipsius decreti Polysperchontis apud Diodorum 18. 56. 3 : ἡμεῖς δὲ τιμῶντες τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν κατασκευάζομεν ὑμῖν εἰρήνην, πολιτείας δὲ τὰς ἐπὶ Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τἄλλα πράττειν κατὰ τὰ διαγράμματα τὰ πρότερον ὑπ' ἐκείνων γραφέντα. Quae cum ita sint statuere oportet Polyosperchontem novum synedrium instituisse, quod autem sine dubio non multum discrepabat a superiore Corinthi synedrio a Philippo constituto [1]).

Ceterum legatos misit in omnes urbes Peloponnesi, qui auctores essent ut interficerentur magistratus ab Antipatro constituti, ut plebi libertas redderetur; multae urbes consiliis ejus obsecutae sunt, ubique caedes patratae sunt, sed Megalopolis in fide Cassandri mansit. Ad hanc urbem Polysperchon repulsam tulit et in Macedoniam reverti coactus est, cum filius ejus Alexander rebus Peloponnesi praeesset. Eodem tempore Athenae sese non amplius contra Cassandrum in Piraeo stantem sustinere potuerunt, coactae fuerunt pacem cum eo facere.

Multae aliae urbes autem, quae omnia a Polysperchonte et ab edicto ejus expectaverant, nunc viderunt eum promissa sua exsequi non posse, exemplumque Atheniensium secutae, iterum Cassandri partibus studere coepere [2]).

Optimates Atheniensium auctis viribus id pervicerunt ut urbs sese fidei committeret Cassandri: τίθεσθαι τὰ πρὸς αὐτὸν ὡς ἂν ᾖ δυνατόν [3]) Legatio autem ad hanc rem missa ad Cassandrum, nihil effecit, neque magis altera, secundo loco missa. Nunc autem a parte Cassandri Demetrius Phalereus legatus in urbem mittitur, qui tanta moderatione

---

1) cf. Droys. 2. 1. 227 ann. 1.
2) Diod. 18. 74. 1.
3) Ibid.

et prudentia res composuit, ut mense Novembri anni 318 pax facta sit[1]).

Conditiones hujus pacis non admodum severae fuerunt, Cassander magna moderatione versatus est[2]). Demetrius Phalereus jussu ejus a plebe summus magistratus in annum 317 creatus est[3]), ut ex hoc officio res administraret. Nullo alio modo nisi officiis lege constitutis perfungendo rebus praeesse potuit Phalereus, necessario enim hoc sequitur ex ea re, quod nullus princeps Macedoniae sese rebus intestinis Atheniensium miscuit. Insuper C. I. A. II 1217 (Dittenberger 165) Phalereus tamquam *στρατηγός* commemoratur[4]). In universo hac pace ratio inter Macedoniam et Athenas omnino non mutata est. Institutiones quidem civitatis auctore Cassandro rursus ita mutatae sunt, ut major numerus civium rem publicam adire posset, quam antea, tamen Munychia in Macedoniae potestate mansit, donec bello inter principes finis impositus esset. Sed possessiones extra Atticam, quas post pacem anni 321 adhuc retinuerunt, interque eas Salamis insula iis nunc ademptae sunt.

Droysen 2. 1. 234 putat Panactum quoque a Cassandro occupatum esse. At Pausanias 1. 25. 6 dicit *Πάνακτον τεῖχος ἐν τῇ Ἀττίκῃ καὶ Σαλαμῖνα εἷλε*, id est cepit, nec tamen patet eum castellum illud postea occupatione tenuisse, contra,

---

1) Droys. 2. 1. 235 cf. Dittenb. 163 ann. 2. Res enim hoc modo sese habet ex correctione v[i] d[i] Dittenberger ad C. I. A. II 584 ubi v. d. Koehler legit *καὶ τοῦ ἄστεως διὰ τὸν (πόλεμον εἰς μερίδ)ας διέλυσε Ἀθηναίους. κ. τ. λ.* Dittenberger autem *καὶ τοῦ ἄστεως διὰ τὸν (πόλεμον πρεσβεύσ)ας διέλυσε Ἀ(θ)ηναίου(ς καὶ πάλιν ἐπανήγαγε)ν εἰς τὸ αὐτὸ καὶ εἰ(ρήνην κατηργάσατο Ἀ)θηναίοις καὶ τεῖ χώ(ραι, καὶ ἐπιστάτης αἱρ)εθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμ(ου . . . νόμους . . . .) ἔθ(η)κεν . . . καλ(λίστους.* cf. Dittenb. 164.

2) Strabo 398. *Κάσανδρος πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δοκεῖ τυραννικώτερος γενέσθαι, πρὸς Ἀθηναίους δὲ εὐγνωμόνησε λαβὼν ὑπήκοον τὴν πόλιν.*

3) cf. Dittenb. 163 ann. 2.

4) cf. Dittenb. 164. Polyb. 12. 13. 9. Diod. 18. 74 tamen eum *ἐπιμελητήν* nominat, Paus. 1. 25. 6 *τύραννον*, cum Strabo 398 dicat de Cassandro: *ἐπέστησε γὰρ τῶν πολιτῶν Δημήτριον τὸν Φαληρέα.*

apparet ex inscriptione anno 1850 inventa anno 315/314 illic praesidium Atheniensium fuisse [1]).

Neque magis hac in re facere possum cum v° d° Dittenberger [2]), qui putat tam Macedones quam Athenienses illic praesidium posuisse, quomodo enim fieri potuit ut Cassander intra annos 306 et 304 illud castellum rursus ceperit et in potestate sua retinuerit [3])? Statuimus igitur hac pace Panactum Atheniensibus concessum esse.

Itaque sub finem anni 318 res Polysperchontis in Graecia jam in eo erant ut collaberentur; licet Sparta et Corinthus adhuc a partibus ejus starent, Cassander nihilominus superior evasit, tam Athenis quam aliis in urbibus Graeciae, non solum augendo vires suas, sed etiam moderatione et prudentia, tum maxime stultitia et inertia, fortasse imbecillitate Polysperchontis [4]).

Interim imprudentia a Polysperchonte commissa sese conjungendo simul cum Arrhidaeo et Eurydice simul cum regia matre, ipsis rebus in lucem prodiit. Olympias enim, post clades Polysperchontis in Graecia, ab eodem in Macedoniam vocata est, cum ipse sese non amplius sustinere posset contra Eurydicem et nobilitatem, quae cum jam antea occulte cum Cassandro agere coepisset, nunc renunciavit eum una cum Antigono ut successores Polysperchontis [5]), quo factum est ut inde ab hoc tempore una starent Cassander et Eurydice, Polysperchon et Olympias. Polysperchon in Macedoniam properavit, sed etiam Cassander illuc revertitur, multique ad eum defecerunt. Adventu

---

1) C. I. A. II 1217. Dittenb. 165. *Ἀθηναίων οἱ τεταγμένοι ὑπὸ τοῦ δήμου ἐν Ἐλευσῖνι καὶ Πανάκτωι.*

2) Dittenb. l.l. ann. 1.

3) Droys. 2. 2. 179 et 181.

4) Diod. 18. 75. 2. *ὁ μὲν γὰρ Πολυσπέρχων ἀργῶς ἐδόκει καὶ ἀφρόνως προστατεῖν τῆς τε βασιλείας καὶ τῶν συμμάχων, ὁ δὲ Κάσσανδρος ἐπιεικῶς προσφερόμενος πᾶσι καὶ κατὰ τὰς πράξεις ἐνεργὸς ὢν πόλλους εἶχεν αἱρετιστὰς τῆς αὐτοῦ δυναστείας.*

5) Justin. 14. 5. 3.

Cassandri Polysperchon sese contulit in Aetoliam sive Epirum, et eo usque jam ab adversario suo neglectus est, ut hic ne in Macedonia quidem manserit ad eum observandum, sed in Peloponnesum redierit ut bellum contra Alexandrum continuaret, haud minus spreta Eurydice.

Haec interim Polysperchonti et Olympiadi, cum exercitu Macedoniam invasuris, obviam facta est [1]; sed exercitus ejus prima quaque occasione ad hostem transiit, ipse Arrhidaeus captivus fit, paullo post Eurydice capitur. Postquam etiam haec in Olympiadis potestatem pervenit, eodem tempore ab eo exstincti sunt; illa nunc per breve spatium dominationis suae omnibus modis in fautores Cassandri saeviit, ut hoc modo caecum furorem in adversarios suos expleret.

Cassander autem, audita re in Macedoniam revertitur, Olympiadem Pydnae obsidet. Auxilia ex Epiro missa sub rege Aeacida, non tantum in mora fuerunt, sed etiam vires regis in itinere seditione militum tantopere debilitatae sunt, ut ulterius progredi ausus non sit; cum autem domum rediisset, regno spoliatus est. Adversarii ejus foedus ineunt cum Cassandro, qui Lyciscum procuratorem in Epirum misit. Quidnam autem fuerit munus hujus Lycisci non commemoratum est, etiam nunc res Epiri aeque obscurae sunt ac semper alias. Nihil compertum est de ratione quae intercedebat inter gentes Epiroticas et procuratorem Macedonicum.

Plutarchus (Pyrrhus 2) tradit sane Neoptolemi filios rebus praefectos esse, nec tamen patet quisnam fuerit ille Neoptolemus. Filius Alexandri Molossi adhuc juvenis erat, hic non ante annum 302 rex factus est [2]. Niese suspicatur eos fuisse filios Neoptolemi Aeacidae, ducis Alexandri, qui anno 321 ab Eumene acie caesus est [3], eosque Lycisci aus-

---

1) Diod. 19. 11. 2. Paus. 1. 11. 3. Justin. 14. 5. 9.
2) Droys. 2. 2. 214.
3) Arrian. 2. 27. 6.

piciis summis rebus praefectos esse [1]). Fortasse verum, sed tum etiam suspicandum est Lyciscum Olympiadi successisse, cui Aeacida perinde obnoxius fuerat [2]). Hoc tantum constat, Cassandri principatum inde ab hoc tempore in Epiro firmatum esse, quemadmodum autem Epirus e Macedonia pependerit, prorsus ignoramus.

Auxiliis destituta Pydna vere anni 316 coacta fuit sese Cassandro tradere, Olympias brevi post jussu ejus interficitur, Cassander inde abhinc Macedoniae imperavit, maxima cura liberatus. Matrimonium iniit cum Thessalonice Philippi filia, quo sibi speciem juris regnandi daret; inde ab hoc tempore historia Cassandri in unum cadit cum historia Macedoniae, quae nunc tantum ad regiones in Europa pertinebat (cf. pag. 121). Polysperchon autem audita morte Olympiadis in Aetoliam confugit, ut illic eventum rerum expectaret.

---

1) Niese 1. 252.

2) Hyperides fr. 1. § 18 sqq.

CAPUT IV.

De regno Cassandri 316—297.

§ 1. De finibus regni Macedonici; de urbibus a Cassandro conditis.

Imperium Macedonicum anno 316 dissolutum est, omne vinculum quod diversas partes imperii in unum cohiberet, confractum est, in universo satrapes, Antigono excepto, sese sustinere conantur tamquam principes diversorum regnorum. Hanc ob rem etiam Cassander inde ab hoc anno, exstinctis praecipuis imperii competitoribus, Olympiade et Eurydice, cum infans Alexander, heres imperii legitimus et mater ejus Amphipolide in potestate ejus essent, tamquam princeps Macedoniae considerandus est.

Praeterquam quod regnavit in ipso agro Macedonico, auctoritas ejus etiam agnita est in Paeonia, semper foedere conjuncta cum Macedonia, in Epiro ubi Lyciscum nuper summis rebus praefecit, in universa fere Graecia, excepta Aetolia, quae regio natura ita munita erat, ut feroces gentes illic sedes habentes facile libertatem suam vindicare possent, et exigua parte Peloponnesi, ubi Polysperchontis filius Alexander sese sustinuit.

Ante omnia alia novus princeps id studuisse videtur,

ut odium suum in domum Alexandri et in ipsum regem ostenderet. Quasi non satis fuisset eum regiam matrem occidisse, libera custodia asservare puerum regium Alexandrum cum matre Roxane, omnium primum id studuisse videtur ut, quantum fieri posset, deleret vestigia dominationis Philippi et Alexandri [1]). Fieri enim non potest quin diversae urbes a Cassandro conditae huic studio attribuendae sint. Sic primo loco Thessalonice nominanda est, quae urbs secundum Strabonem 330 fr. 24 antea Therme appellabatur, nunc autem nomen accepit Cassandri uxoris. Oppida autem quae huic urbi injuncta sunt, fuerunt Apollonia, Chalastra, Therma, Garescus, Aenea, Cissus [2]).

Quod attinet ad Strabonis sententiam loco laudato: *καθελὼν τὰ ἐν τῇ Κρουσίδι πολίσματα καὶ τὰ ἐν τῷ Θερμαίῳ κόλπῳ περὶ ἓξ καὶ εἴκοσι καὶ συνοικίσας εἰς ἕν*; facere non possumus quin cogitemus de *συνοικίσμῳ* ut elaborate descripta est a Thucydide 2. 15. Magistratus et instituta eorum locorum sublata sunt, urbs capitalis fit sedes magistratus, reliqua loca vicorum instar fiunt [3]). Aenea e. g. in bello Persico commemorata est, itaque posthac extitit [4]).

De institutionibus et magistratibus nihil scimus, nisi quod memoria sex Politarcharum, cum tamia et gymnasiarcha, aetatem tulit [5]). In paeninsula Pallene iis locis ubi antea Potidaea et Olynthus steterunt, Cassander condidit urbem Cassandream [6]). In hanc urbem contraxit urbes Chersonnesi et Potidaeam, et haud ita paucos e locis finitimis interque eos Olynthiorum adhuc reliquos, haud parvo numero. Et

---

1) cf. Diod. 19. 61. 2.

2) Strabo 330 fr. 21.

3) Liv. 26. 16. 9. „corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse".

4) Liv. 40. 4 et 44. 10. 7.

5) Acta Apost. 17. 6. C. I. G. no. 1967 cf. Add. Vol. II 990. Philologus 29. p. 752.

6) Strabo 330 fr. 25 et 27.

magnus numerus agrorum Cassandrinis datus est, cum ipse Cassander autem operam daret ut urbs cresceret, brevi tempore ita amplificata est, ut omnes urbes Macedoniae potestate anteiret [1]). Et perinde ac Thessalonicae etiam in Cassandream loca finitima contracta sunt. Sic Mende [2]), sic universus ager Pallenensis [3]).

Cassandrea sedes fuisse videtur viduarum regiarum [4]). Justinus 16. 2. 4 Eurydicen, Lysimachi filiam Antipatri Cassandri filii uxorem, illic vitam agentem memorat. Etiam Arsinoe filia Ptolemaei Soteris, matrimonio cum Lysimacho conjuncta, post hujus mortem Cassandreae sedes habuit, donec urbs a Ptolemaeo Cerauno capta est [5]). Eurydice autem Cassandrinis autonomiam dedit [6]), quae profecto postea ab Apollodoro sublata est.

Neque hoc loco negligenda est Uranopolis in cacumine Athoi montis condita a Cassandri fratre Alexarcho [7]), cujus urbis memoria etiam per nummos aetatem tulit [8]).

---

§ 2. De Thebis restitutis.

Eidem odio in Alexandrum adscribenda est restitutio Thebarum, quae urbs initio regni sui a Cassandro in integrum restituta est. Cum exercitu enim Meridiem versus profectus ut Alexandrum Polysperchontis filium sibi subjiceret, ubi primum in Boeotiam pervenit, decretum edidit

---

1) Diod. 19. 52 cf. Paus. 5. 23. 2.

2) Liv. 31. 45. 14. „Cassandream petentes ad Mendin, maritimum civitatis ejus vicum."

3) Liv. 44. 10. 11. 12.

4) Niebuhr. Worte üb. alte Gesch. III p. 105 cf. 161.

5) Justin. 24. 2. 1.

6) Polyaen. 6. 7. 2.

7) Plin. H. N. 4. 10. § 37. Strabo 331 fr. 35.

8) Müller. Numism. d'Alexandre 138. Head. Hist. numm. 183.

de Thebis restituendis, revocavit Thebanos exsules, eosque in pristinis suis sedibus collocavit, ut sibimet ipsi hoc modo aeternam gloriam, et amicitiam reliquorum Graecorum compararet [1]). Boeotis ipsis contra, quibus Thebas instaurando etiam causae altercationum et dissensionum redintegrabantur, res omnino non grata fuit, cum insuper agri Thebani, qui post urbem dirutam inter reliquos Boeotos distributi erant, superioribus possessoribus reddendi essent. Hanc ob rem etiam bello Lamico a Macedoniae partibus steterunt, quod nihil a Graecis victoribus tam metuebatur, quam ne Thebas restituerent [2]). Sed reliqui Graeci magno studio Thebanos adjuverunt ad urbem instaurandam, non solum Athenienses, sed etiam Messenii et Arcades Megalopolitani [3]), vel Graeci ex Magna Graecia et Sicilia, ex Asia Minore opem tulerunt, pecunias miserunt [4]); ipsi successores Alexandri interque eos imprimis Ptolemaeus, qui anno 308, cum ante omnia alia id studeret, ut auctoritatem suam in Graecia firmaret, Philoclem amicum suum bis cum donis Thebas misit [5]). Eodem tempore autem apparet urbem non statim uno puncto temporis restitutam esse, contra, longam seriem annorum effluxisse, antequam omnia in eo statu erant, quo antea fuerunt. Haec res explicatur inscriptione illa jam supra citata, quae continet longum catalogum donationum per longam seriem annorum factarum, et ipsi Thebanorum civitati [6]) et diis quos Thebani colebant [7]):

Ipse Demetrius Poliorcetes, cum anno 304 post pacem cum Rhodiis factam in Graeciam pervenisset, Boeotiamque et ipsas Thebas in libertatem vindicavisset, societate cum

---

1) Diod. 19. 53. 2.

2) Diod. 18. 11. 4. Paus. 1. 25. 4.

3) Paus. 9. 7. 1.

4) Dittenb. 176. vs. 16. (*Ἀντιγονεῖες τοὶ ἐκ τᾶς Τρ)ωΐας διακατίως* cf. ann. ad. h. l.

5) Diod. 19. 54. 2. Dittenb. l. l. vs. 19.

6) ibid. v. 36. *τῇ πόλ(ι ἐν τὸν συνοικισμόν)*.

7) ibid. v 27. *ἀνέθεικε(τοῖς θεοῖς τάλαν)τα ἑκατ(όν)*.

iis inita [1]), decimam partem praedae Rhodi captae diis Thebanis vovit.

Perinde reliqui quoque successores Alexandri dona dederunt, sine dubio etiam post annum 306, etenim in titulo nostro βασιλεῖες nominantur [2]); quod verbum indicat sane eos etiam dona Thebas misisse postquam regium titulum assumpserunt.

Hanc ob rem eo adducimur ut suspicemur gratiam propter donationes fuisse causam cur duobus annis post Thebani templum Aphroditae Lamiae in Demetrii honorem voverint, minime metum ut Droysen 2. 2. 193 perhibet. Res autem maximi momenti hac inscriptione patefacta est, nempe quod restitutio urbis non ante annum 300 ad finem perducta est, quod ante hunc annum non loqui possumus de Thebis in integrum restitutis. Et eodem tempore in veram lucem procedit locus Plutarchi Demetrius 40, a v° d° Droysen damnatus [3]), qui dicit de anno 290: ταῖς μὲν οὖν Θήβαις οὔπω δέκατον οἰκουμέναις ἔτος ἁλῶναι δὶς ἐν τῷ χρόνῳ συνέπεσε. Plutarchus enim, cum hoc scriberet, nullo modo spectavit ad Cassandri decretum anni 316 (quotiens enim inde ab illo anno usque ad annum 290 urbs capta et liberata est!) sed ad illud punctum temporis quo urbs in integrum restituta est, id est ad annum fere 300.

Ceterum suspicandum est urbem instauratam non in eum statum libertatis restitutam esse, quo reliquae urbes Graeciae fruebantur. Hae enim numquam autonomiam suam amiserunt, cum de Thebis appareat urbem non ab omni parte in libertatem restitutam esse. Nummi hanc rem nos docent. Numquam enim urbes Graeciae meridionalis, ut Athenae, Corinthus et aliae, Sicyon autem excipienda est, nummos Macedonicos ediderunt; Thebis autem intra annos 315—288, iis temporibus igitur quibus Cassander et Demetrius urbi

---

1) Plut. Demetr. 23. Diod. 20. 100. 6. Droys. 2. 2. 181. Dittenb. l.l. ann. 6.

2) Dittenb. l.l. v. 35.

3) Droys. 2. 2. 280.

dominati sunt, nummi Macedonici emissi sunt [1]). Quamquam nihil nobis traditum est de institutionibus ipsius urbis, tamen hi nummi nobis testes sunt, rationem inter Thebas et Macedoniam profecto recessisse a statu aliarum civitatium Graeciae, quae auctoritati Macedoniae obnoxiae erant. Hoc tantum scimus praesidium Macedonicum fuisse in Cadmea arce, sed hoc nihil ad ipsam rem. Sed si respicimus ad illos nummos, consentaneum est suspicari statum urbis non ita multum discrepuisse a statu aliarum urbium a regibus captarum in regionibus Macedoniae confinibus ut Abderorum, Maroneae et Aeni, quae urbes nomine tenus Hellenicae, tamen Macedoniae subjectae erant (cf. caput I pag. 27), et tamquam municipia Macedonica regibus in omni re oboediebant.

Hoc modo etiam explicari possunt varii conatus Thebanorum ut sese jugo Macedonico liberarent, quae res autem non ante annum 288 successit, cum urbs a Demetrio Poliorceta in libertatem restituta est. [2]).

Etiam haec res argumento esse potest cur Cassander novam urbem non ab omni parte in libertatem restituerit, quod metueret ne reliquos Boeotos nimis exacerbaret. Eadem res facile explicat diversam rationem quae intercedit inter Cassandrum et Boeotos et Thebanos ab altera parte.

Anno enim 313 et Boeoti et Thebae contra Cassandrum insurrexerunt, sese Antigono applicaverunt, a Cassandro denuo in ordinem coacti, hic cum Boeotis indutias fecit, cum Thebanis autem societatem iniit, id est eos redegit in pristinam conditionem, praesidium in Cadmea posuit [3]).

Temporibus insequentibus Thebanorum urbs diversis casibus obnoxia fuit, nunc ab uno principe capitur et occupatur, nunc alter urbem ad se trahit. Hoc tamen constat aliquid

---

1) Barclay Head History of the coinage of Boeotia 80.

2) Plut. Demetr. 46.

3) Diod. 19. 77. 6. *Θηβαίους δ'εἰς τὴν αὑτοῦ συμμαχίαν κατέστησε· πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς ἀνοχὰς ποιησάμενος.*

temporis effluxisse antequam denuo caput societatis Boeoticae facta est, saltem anno 294 Boeotarchae Orchomenum convenerunt [1]). Tamen omnino non patet quando Thebae rursus sedes societatis Boeoticae factae sint.

---

§ 3. De bellis a Cassandro gestis (315—311).

Si contemplamur res gestas a diadochis post Olympiadis et Eumenis mortem, primo loco ad hanc rem attendendum est Antigonum, qui jam inde ab anno 321 munus procuratoris imperii sibi vindicavit [2]), nunc ita viribus auctum esse, ut ei id studere licuerit, ut consilia sua exsequeretur. Qua in re haud negligendum est primum ei fuisse jus tutelae legitimae de regibus, jam inde a congressu Triparadisi habito (p. 122), secundo loco, maximam partem imperii in Asia ei tunc temporis subjectam fuisse, tertio nullum alium fuisse, qui jus universi imperii administrandi sibi vindicaret vel vindicare posset, minime quidem Cassander, licet Macedoniae dominaretur.

Sed reliqui principes, Ptolemaeus, Lysimachus et Cassander non ii erant, qui horum omnium rationem haberent, postulaverunt ut Antigonus, postquam hujus legati ad pacem servandam missi infecta re redierunt [3]), sibi partem regionum, ab eo occupatarum concederet, ut Seleuco Babyloniam redderet, ut thesauros, quos post Eumenis mortem spoliaverat, inter eos divideret [4]).

Inter cetera Diodorus 13. 57. 1 Cassandrum sibi vindicare facit Cappadociam et Lyciam. Droysen autem pro Cassandro Asandrum legit, cui tamen Niese 1. 274 ann. 3, non assentitur. Meo vero judicio non verisimile est Cassan-

---

1) Polyaen. 4. 7. 11.
2) cf. p. 122.
3) Diod. 19. 56. 4.
4) Diod. 19. 57. 1.

drum, qui adhuc semper rebus in Europa occupatus erat, neque umquam majora capessivit, quam quae vires ejus sustinere possent [1]), repente provinciam remotissimam ut revera Cappadocia fuit, sibi vindicasse, praesertim cum Asander jam anno 323 Babylone, a°. 321 Triparadisi et anno 318 ab ipso Antigono Cariae praefectus [2]), eo facilius provinciam suam in Asia amplificare posset, quod revera etiam fecit [3]). Quae res autem neque magis a v° d° Niese comprobatur, qui jam nunc, cum res Graeciae nondum sedatae essent, Cassandrum gravissimum bellum gerere facit in Asia interiore [4]): „Die Belagerung von Amisos ist wahr-„scheinlich ein Rest des Krieges gegen Eumenes; nach „seinen Makedonischen Erfolgen hatte Kassander jetzt „Truppen dorthin geschickt." Sed reliquiae exercitus Eumenis et Peithonis jam vere anni 316 exstinctae erant [5]). Praeterea ex ipso Diodoro 19. 57 patet illum rerum scriptorem ad Asandrum spectasse, quod attinet ad res Cappadociae. Dicit enim: *Πτολεμαῖον δὲ τὸν ἀδελφιδοῦν μετὰ δυνάμεως εἰς Καππαδοκίαν ἀπέστειλεν, ἵνα λύσῃ μὲν Ἀμισοῦ τὴν πολιορκίαν καὶ τοὺς ὑπ' (Ἀσάνδρου) (Κασσάνδρου) πεμφθέντας εἰς Καππαδοκίαν ἐκβάλῃ πάντας πρὸς δὲ τούτοις ὅπως παραγενόμενος εἰς Ἑλλήσποντον ἐφεδρεύῃ τοῖς περὶ Κάσσανδρον ἂν ἐπιχείρῃ διαβαίνειν ἐκ τῆς Εὐρώπης.*

Secundum v^{m}. d^{m}. Niese Cassander duobus exercitibus Asiam agressurus erat, cum tertio autem in Peloponneso rem gerebat.

Meo judicio v. d. Niese putavit Cassandri vires nimis validas fuisse, nullo modo enim tot res eodem tempore eo anno suscipere potuit. Hanc ob rem potius cum v° d° Droysen Asandrum legamus iis locis ubi hoc nomen ab eo restitutum est.

---

1) v. Wilamowitz. Ant. v. Kar. p. 185.
2) Droys. 2. 1. 257.
3) Droysen l.l.
4) Diod. 19. 60. 2.
5) Diod. 19. 47. 4. Niese 1. 271.

Ut ad res Antigoni et reliquorum diadochorum redeamus, Antigonus omnia recusavit, bellum rursus exarsit, postquam Ptolemaeus, Lysimachus, Cassander et Seleucus sese contra eum conjunxerunt.

E rebus ab Antigono gestis, omnium primum id apparet, hunc nunc demum sese gessisse ut eum ad quem summa totius pertineret. Nunc enim Eumenis loco in Asia vindex domus regiae extitit, simulavit jura fautorum regiae domus agnoscere, sibi alios socios comparavit cum in Asia, tum in insulis. Partem Cypri enim et Rhodum sibi adjunxit, cum Aristodemum praetorem suum in Poloponnesum ad Polysperchontem et filium ejus Alexandrum mitteret. Res ab hoc viro in Europa gestae, mea quidem sententia maximi momenti fuerunt.

Nam licet jamdiu totum imperium sibi vindicaret Antigonus, titulus quo nitebatur satis imbecillus et ambiguus fuit. Qui tamen confirmatus est conjunctione ejus cum Polysperchonte. Diodorus 19. 60. 2 de hac re scribit: (Aristodemus) *ἐντυχὼν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Πολυσπέρχοντι φιλίαν συνέθετο πρὸς αὐτοὺς ὑπὲρ Ἀντιγόνου, καὶ Πολυσπέρχοντα μὲν στρατηγὸν ἀπέδειξε τῆς Πελοποννήσου, τὸν δ' Ἀλέξανδρον ἔπεισεν εἰς τὴν Ἀσίαν πλεῦσαι πρὸς Ἀντίγονον.* Quid tandem hoc significat? Quod Polysperchon Cassandro impar erat, itaque auxilio externo indigebat eventus superioris belli jam manifestum reddidit. Attamen numquam munere suo procuratoris destitutus erat, quod nimirum numquam sibi vindicare destitit, tametsi nemo eum agnovit.

Sed nunc foedus init cum Aristodemo, Antigoni praefecto, et praetor Peloponnesi constituitur. Quomodo hoc explicandum est? Nulla alia re, nisi quod Polysperchon sese munere suo procuratoris regii abdicavit, Antigoni causa scilicet, cui hoc modo novus titulus daretur ad bellum gerendum contra Cassandrum, et ad regnum Macedonicum in Europa sibi vindicandum. Quod antehac Antigonus jus Polysperchontis non agnovit, vel inde ab Antipatri mortem idem jus sibi vindicavit (p. 124) nihil ad rem; hoc est rei

politicae proprium, et tunc et hodie, et semper erit; in praesens haec res maximi momenti fuit, quod eo modo Polysperchon ex imperii competitore socius factus est. Pretium hujus novi tituli nimirum fuit praetura Polysperchontis in Peloponneso, et auxilium illo loco ei ferendum.

Filius Alexander in Asiam ad Antigonum transiit, nec tamen patet quam ob causam. Fortasse ei commissum erat, ut dignitatem patris publice in Antigonum transferret, ad quam suspicionem trahimur loco Diodori 19. 61. 1, praesertim cum videatur statim in Graeciam revertisse. Statim post Alexandri adventum Antigonus, contione militum et peregrinorum convocata rettulit de rebus Cassandri et edictum contra illum comprobandum curavit. Accusavit autem Cassandrum quod Olympiadem interfecisset, quod libera custodia detineret puerum regium et matrem ejus. Insuper contendit eum Thessalonicen per vim uxorem duxisse, affectare regnum Macedonicum tamquam suum, Olynthios in urbe Cassandrea collocasse, et Thebas a Macedonibus dirutas, in integrum restituisse. Deinde decretum tulit ut Cassander pro hoste haberetur, nisi urbes illas destrueret, et regem cum matre liberum dimitteret, in universo procuratori legitime creato Antigono oboediret. Non opus est dicere Antigonum hoc decreto sese gessisse ut decebat successorem Antipatri et Polysperchontis. Hanc ob rem nullam mentionem fecit de hujus rebus, quippe qui post foedus cum Antigono initum, gradu praetorio esset[1]).

Simul Antigonus decretum edidit de Graecorum libertate. A viris doctis dubitatur ad quosnam Graecos Antigonus illo decreto spectaverit, utrum solum gentes intra Thermopylas libertate donaturus fuerit, an etiam Graecos in Asia. Droysen 2. 2. 12 ann. 2, cumque eo Hugo Gaebler Erythrae p. 19 putat eum solum spectasse ad Graecos intra Thermo-

---

[1]) cf. Droysen. 2. 2. 12 ann. 1. „Dass in dieser Anklage von seinem „Verhältniss zu Polysperchon nichts erwähnt wird, ist auffallend, wenn „es nicht in Diodors Auszug blos übergangen ist."

pylas, Holm autem 4. 73 et Niese 1. 277 universam Graeciam libertate donatam esse perhibent. Droysen et Gaebler eo argumento nituntur, quod decretum illud editum sit contra Cassandrum. Hoc quidem verum est, nec tamen est tota veritas. Etenim haud secus ac Cassander, etiam Ptolemaeus, Lysimachus et Seleucus hostes habendi erant, et licet imprimis Cassandrum aggrederetur, tamen reliqui minime negligendi erant.

Itaque res alio modo exploranda est. Status urbium Asiae jam supra pag. 69 sqq., descriptus est ut prorsus discrepans a Graecis in Europa, Asiaticae enim multo majore libertate fruebantur sub Alexandro. In universo status Asiae temporibus Alexandri mortem insequentibus non mutatus est [1]). Sed culpa praetorum factum est, ut etiam hic omnia perturbata sint. Plures enim conatus facti sunt a praetoribus provinciarum, ad subjiciendas diversas urbes Asiae, Arrhidaeus verbi causa, praetor Phrygiae, anno 319 constituit praecipuas urbes provinciae suae munire praesidiis [2]), vel suscepit Cyzicum obsidere. Eodem modo Clitus Lydiae praetor occupavit urbes provinciae suae, ut sese contra Antigonum defenderet. Attamen provincia sua pulsus est, ipse Antigonus urbes Lydiae ad se traxit, ut earum libertatem defenderet [3]). Et idem fecit Cariae praetor Asander, urbes in hac quoque provincia ab Antigono in libertatem restitutae sunt [4]).

Cum ex praecedentibus pateat praetores diversarum provinciarum in Asia, iis temporibus decreto Antigoni praecedentibus imprimis id studuisse ut urbes liberas in suam potestatem redigerent, cumque ab altera parte pateat Antigonum omnem operam dedisse, ut eas in libertatem restitueret, ut verbi causa urbes Cariae post pacem cum Asandro

---

1) Droys. 2. 2. 380. Gaebler p. 17. Holm 4. 74.
2) Diod. 18. 51.
3) Gaebler p. 18. Diod. 18. 52. 6.
4) Diod. 19. 75. 1.

a°. 313 factam, cum insuper id imprimis studeret ut decreto suo vires suas augeret èt in Europa, èt in Asia, amicitia Graecorum nisus [1]), in promptu est suspicari eum non solum spectasse ad urbes Graecas in Europa, ubi non magis quam Polysperchon quicquam efficere potuit, nisi quod turbas intestinas excitabat, sed imprimis ad urbes Asiae, quas sibi sine dubio hoc modo socias contra reliquos praetores, qui semper earum libertati insidiarentur, comparaturus esset. Et eventus etiam docuit Antigonum propositum suum assecutum esse, nam in bello quod insecutum est, urbes Ionicae fidissimae sociae Antigoni factae sunt, vel classe ei opem tulerunt [2]). Neque minus Antigonus a sua parte fidem servavit. Usque ad pugnam apud Ipsum urbes Asiae Minoris liberae manserunt, autonomia et suis institutis fruitae sunt [3]). Has ob causas potius virorum doctorum Niese et Holm opinionibus assentiendum videtur quam Droysen et Gaebler.

Ab altera parte Ptolemaeus, audito decreto Antigoni simile decretum edidit [4]), ut intelligerent Hellenes sibi non minus eorum libertatem cordi esse quam Antigono. Tamen Ptolemaeus perinde ac Antigonus ad nihil aliud spectavit, quam ut sibi compararet auctoritatem in Graecia in Europa juxta Cassandrum, quod patet e rebus ab eo illic postea gestis, e magnis donis quibus Thebas bis donavit [5]), ex occupatione Corinthi et Sicyonis anni 308. Nec tamen ejus res, eodem modo quo Antigoni, ferebant ut veram libertatem afferret, nempe praesidiis auctoritatem suam firmavit. Neque magis ratio inter Cassandrum et socium ejus Lagidem perspicua est, fieri tamen non potuit ut illi res gestae Ptolemaei

---

1) Diod. 19. 62. 2. *Οὐ γὰρ μικρὰν ῥοπὴν δρῶντες οὖσαν ἑκάτεροι* (Ptolemaeus et Antigonus) *προσλαβέσθαι τὴν τῶν Ἑλλήνων εὔνοιαν, διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς εἰς τούτους εὐεργεσίας.*

2) Gaebler p. 18.

3) Droys. 2. 2. 227.

4) Diod. 19. 62. 1.

5) Dittenb. 176.

gratae fuerint; fortasse aliquo modo inter se altercati sunt; Diodorus enim 20. 37. 2 memorans pactionem quam anno 308 inierunt, eam *εἰρήνην* nominat.

Urbes Graeciae autem non vehementer commotae sunt decretis Antigoni et Ptolemaei, primum quod ubique aderant Cassandri praesidia, tum praecipue quod jam decreto Polysperchontis experti erant nihil a talibus expectari posse nisi novas calamitates.

Ipsum bellum vario marte a diversis principibus in omnibus partibus imperii gestum est. Cassander aliquamdiu occupata tenuit Appolloniam et Epidaurum, sed rursus inde pulsus est, auctoritas ejus in Epiro sane non aucta est, nam rex. Alcetas illic solium regium occupavit, et eodem tempore auctoritas ejus in Graecia prorsus exstincta est.

Sed alio modo res sese habuit in Acarnania et Ambraciae, quae regiones etiam bello interfuerunt. Pars Acarnanum enim jam inde a Philippi temporibus Macedoniae societate conjuncta erat. Cum Alexander Ambraciam in libertatem restituisset, ab altera parte ratio inter reliquas gentis illic sedes habentes et Macedoniam non mutata esse videtur. Bello Lamico pars Acarnaniae cum Antipatro fecit, etiam nunc anno 316 a parte Cassandri stetit. Inito enim foedere cum Cassandro bellum suscipiunt contra Aetolos, semper Macedoniae adversarios.

Cum autem adhuc dispersi in agris habitarent, auctore Cassandro sese nunc contrahunt in oppida munita, quo facilius sese defenderent [1]), inter alia Stratus et Agrinium nunc firmantur et amplificantur [2]). Et eodem tempore Lyciscus Epiri praetor (cf. p. 132) iis a Cassandro auxilio missus est (a°. 314), Acarnanes autem nunc demum tam arcte conjuncti esse videntur Macedoniae, ut inde ab hoc tempore tamquam gentes Macedoniae adjectae habendae

---

1) Diod. 19. 67. 4. *συνεβούλευεν ἐκ τῶν ὀχυρῶν καὶ μικρῶν χωρίων εἰς ὀλίγας πόλεις μετοικῆσαι.*

2) Diod. l.l.

sint [1]), qui status non mutatus est antequam anno 294 ab Alexandro Cassandri filio Pyrrho concessae sunt [2]).

De condicionibus pacis, quae anno 311 facta est, nihil aetatem tulit nisi ea quae Diodorus 19. 105 nobis tradidit: Κάσσανδρον μὲν εἶναι στρατηγὸν τῆς Εὐρώπης μέχρι ἂν Ἀλέξανδρος ὁ ἐκ Ῥωξάνης εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ, καὶ Λυσίμαχον μὲν τῆς Θρᾴκης κυριεύειν, Πτολεμαῖον δὲ τῆς Αἰγύπτου καὶ τῶν συνοριζουσῶν ταύτῃ πόλεων κατά τε τὴν Λιβύην καὶ τὴν Ἀραβίαν Ἀντίγονον δὲ ἀφηγεῖσθαι τῆς Ἀσίας πάσης· τοὺς δὲ Ἕλληνας αὐτονόμους εἶναι. Hoc loco autem apparet Cassandrum non modo non impetrasse ut princeps Macedoniae agnosceretur, immo concedere coactum esse, ut tamquam praetor ad tempus rebus praeesset; munus igitur pro regno accepit. Ptolemaeus autem coactus est totam Syriam concedere Antigono, Lysimachi provincia recentibus calamitatibus ab omni parte concussa erat. Antigonus, qui initio belli totum Alexandri imperium sibi vindicavit, utpote summus procurator, neque magis ea adeptus est, quae sibi propositum habuit, immo ad tempus coactus fuit consilia sua ambitiosa missa facere. Solis Graecis igitur hoc bellum profuit, cum principibus posthac interdictum esset, ut sese rebus eorum inmiscerent.

---

§ 4. De bellis inde ab anno 311—297. Regium Nomen.

Una via Cassandro tantum supererat, qua regnum suum in perpetuum confirmaret, nempe morte pueri Alexandri. Neque diu cunctatus est quominus eum interficeret. Jam anno enim 311/310 custodem ejus Glauciam jussit occidere èt Alexandrum èt Roxanen, qua caede metu ne mox regnum

---

1) Kuhn p. 83: „Kassanders Bündniss mit den Akarnanen zog deren „Unterwerfung unter das Makedonische Reich nach sich. Akarnanien „Ambrakia und Amphilochien werden etwas später als ἐπίκτητα ἔθνη von „Makedonien genannt.

2) Plut. Pyrrh. 6. Kuhn. p. 83 et 146.

suum puero cederet, liberatus est. Altera quaestio autem est, num haec mors Antigono grata fuerit. Ego non credideriim quamquam Diodorus 19. 105. 3. confirmat ita fuisse. Hoc scelere enim ei praetextum ademptum est, quo Cassandrum cohiberet, nunc enim non amplius universum imperium Alexandri heredi ejus vindicare potuit, profecto haec caedes una ex causis est, quae bellum rursus exardescere fecerunt. Quantum autem apparet, Ptolemaeus fuit praecipuus auctor belli quod mox insecutum est. Hic enim pepulit praesidia Antigoni ex aliquot urbibus Ciliciae, quas contra pacem superioris anni in potestate sua tenebat [1]).

Sed facere non possum quin suspicer expeditionem Polysperchontis contra Cassandrum anni 310 arctissime cohaerere cum caede Alexandri. Polysperchon enim tunc temporis dominabatur Messenae et parvo regno quod sibi comparavit in Graecia, in quo sitae erant Corinthus et Sicyon; nimirum metuebat ne possessiones illas per longum tempus teneret, cum optime intelligeret, contra Cassandri vim sese sustinere non posse. Expectavit caedem Roxanes et regis offensioni fore plebi et nobilitati Macedoniae, et hac ipsa re speravit fore ut regnum suum reciperaret, quod assecuturus esset, si Macedonibus postremam Alexandri subolem ostenderet. Ad hanc rem spectans, juvenem Heraclem Barsines filium Lampsaco Corinthum arcessivit, qui cum matre ad eum pervenit, profecto haud inscio Antigono, qui sine dubio rem comprobavit, quo sibi novus titulus esset summi imperii vindicandi. Polysperchon Heraclis nomine socios ad bellum evocavit; Aetoli aliique ei statim morem gesserunt, exercitum viginti milia peditum et mille equitum coegit, quibuscum per Aetoliam et Epirum profectus est, ut per montes Tymphaeae in Macedoniam penetraret. Cassander ei illic obviam factus est, sed antequam res ad pugnam pervenit, hic cum Polysperchonte agere coepit, cui territorium suum in Graecia integrum obtulit, deinde ei concessit possessiones

---

1) Diod. 20. 19. 4.

suas in Macedonia, centum talentum pretio [1]), insuper societatem et strategi titulum in Peloponneso, cum parvo exercitu Macedonico [2]). Illo pretio Polysperchon paratus erat ad interficiendum Heraclem et matrem ejus; quod scelus etiam ab eo perpetratum est. Polysperchon in regnum suum rediit; ultima stirps Alexandri exstincta est.

Ptolemaeus interim multas urbes Asiae Minoris in libertatem restituit, prospere res gessit in Asia Minore, et anno 308 in Graeciam pervenit, ubi diversis locis libertatem restituit, Corinthum autem et Sicyonem praesidio occupavit, novum decretum de libertate dedit, sane Cassandro non gratum, qui etiam rem gessit in Graecia, ut auctoritatem suam restitueret. Pactionem autem inierunt (cf. p. 146), qua pactione Corinthus et Sicyon in Ptolemaei potestate manserunt, Megara, Chalcis et Euboea denuo Cassandri fiunt. Etiam aliis in regionibus Cassander auctoritatem suam firmavit, in Epiro, Athenis, Thebis, Megalopolide.

Et dum hi principes viribus crescebant, Antigoni conditio praecipue caede filiorum Alexandri admodum debilitata est: dum illi enim vivebant, nomine regio tamquam imperii procurator reliquis principibus adversatus erat, nunc autem, defunctis illis, nullo jure niti potuit, quo sese contra reliquos principes sustineret.

Quod autem semper hoc prohibere in animo habebat, quominus reliqui praetores jus imperium sibi vindicandi adipiscerentur, ostendit caede Cleopatrae [3]); quae Ptolemaeo nuptura erat, eique tamquam marito unicae heredis legitimae, jura quaedam imperii administrandi allatura erat; nam etiam nunc Antigonus de hac quaestione certabat. Sine dubio autem reliqui praetores, Cassander, Lysimachus et Ptolemaeus parati erant concedere Antigono provinciam

---

1) Plut. de vitioso pudore 4 Moral. p. 530 D.
2) Diod. 20. 28. 2.
3) Diod. 20. 37. 3.

suam, si ab altera parte eos agnosceret ut legitimos praetores.

Antigonus autem omnes vires intendit ut consilia sua exsequeretur. Anno 307 Demetrium filium magna cum classe in Graeciam Athenas misit, ut tandem libertatem toties promissam, semper autem ad propriam dominationem confirmandam a praetoribus adhibitam, illic institueret, imprimis ut sibi Graecos socios contra reliquos praetores pararet. Et revera praeter Athenas aliquot urbes Cassandri detrimento in libertatem restitutae sunt. In universo Graeci vehementer commoti sunt rebus a Demetrio gestis, nec tamen quicquam novi moliti sunt, nisi quod Epirotae, interfecto Alceta Cassandri amico, Pyrrhum Aeacidae filium in regnum paternum restituerunt; nisi quod Demetrius socios suos synedrio conjunxit [1]). Tamen nihil de hac re nisi ipsum factum aetatem tulit, paullo post Demetrius a patre revocatus est, ut bellum contra Ptolemaeum susciperet.

Tandem anno 306 post victoriam apud Salaminem Antigonus regium titulum assumpsit. Ne hac quidem re quicquam profecit, nam adversarii ejus Ptolemaeus, Seleucus Lysimachus, Cassander exemplum ejus secuti sunt, cum Demetrius ab ipso patre diademate ornatus sit [2]). Nequaquam eis assentiri possum quae Droysen 2. 2. 142 sqq. de hac re scripsit, minime quidem ubi dicit: „jetzt in der That „hat das einige Reich das Alexander gegründet hat ein „Ende," neque magis verba v^i d^i Niese 1. p. 321. „Damit „erhob er den Anspruch auf die Herrschaft im ganzen „Reich, und trat, nachdem Alexanders Geschlecht zu Grunde „gegangen war, selbst an dessen Stelle." Profecto nemo est quin videat Antigoni potestatem tunc temporis in summo fastigio fuisse: Cassander sane rebus novis in Epiro, amissa auctoritate in Graecia debilitatus erat, Ptolemaei vires

---

1) Diod. 20. 46. 5.
2) Diod. 20. 53. 4. Plut. Demetr. 18.

clade apud Salaminem deminutae, nec tamen fractae erant, neque magis Lysimachus Antigono par erat: sed nihilominus ab hac re cavendum est, ne nimis huic titulo tribuamus. Ipso facto enim jam inde ab anno 316, ut supra ostendere conati sumus, imperium dissolutum erat, jam ante hunc annum Antigonus vindex summae totius extitit, itaque jam multo ante ea acciderunt, quae viri docti supra citati in hunc annum conferunt.

Praeterea eventus rerum monet rem quod ad ipsos novos reges attinet, non tanti fuisse. Cum reliqui principes statim Antigoni exemplum secuti sint, Antigonus nullo modo efficere potuit, ut illustriore titulo inter reliquos diadochos eniteret.

Cassander ipse novo titulo non usus esse videtur, tamen in nummis et tituli publicis, etiam hic rex appellatus est [1]). Hoc tantum constat nobis inde ab anno 306 non amplius loqui licere de provinciis pristini imperii Alexandri, nobis nunc rem esse cum diversis regnis, cum veris regibus. Etiam ipsi principes, nunc reges, habitu et moribus mutati esse videntur, superbius sese gerere incipiunt, tamquam histriones qui simul cum vestimentis etiam gradum et vocem mutant, ut scripsit Plutarchus Demetrius 18.

Etiam res post annum 306 ab Antigono et Demetrio gestae, demonstrant iis, si quidem universum imperium sibi vindicabant, rem fuisse cum adversariis quibus postremo impares esse visi sunt. Quod jam ostendit expeditio contra Ptolemaeum anni 306; non minus clarissima Rhodi obsidio, quae anno 304 finem cepit, cum interim omnia quae a Demetrio in Graecia instituta erant, a Cassandro irrita facta sunt. Boeoti Chalcis et Euboea sese rursus huic applicaverunt, Athenae ab eo bello lacessitae sunt, castella Phylen et Panactum occupavit, vel ad ipsam urbem castra posita sunt. Sed post pacem cum Rhodiis factam Demetrius in Graeciam revertit et omnia in integrum res-

---

1) Dittenb. 178.

tituit, Cassandrum ubique pepulit et fugavit [1]) ex universa Graecia.

Socii Graeci nominis autem synedrio Corinthi junguntur, et tametsi nescimus quibusnam condicionibus haec societas firmata sit, tamen suspicari consentaneum est, socios majore libertate fruitos esse quam sub Philippo et Alexandro. Ipse Demetrius societati praeficitur, sine dubio eodem tempore condiciones de copiis parandis, de navibus ornandis, de contributionibus exigendis constitutae sunt, nec tamen quicquam de hac re aetatem tulit [2]).

Hoc modo Antigonus revera vindex libertatis Graeciae extitit, eodemque tempore Cassandri rebus magnum periculum paravit. Qui sive ductus metu sive quod vires ejus exhaustae erant pacem ab Antigono rogavit, quae ei hac unica conditione, nec poterat praesenti statu rerum aliud expectari, concessa est, ut semet ipsum et regnum suum Antigono committeret [3]). Cassander autem talibus conditionibus pacem facere non potuit, auxilium petiit a Lysimacho, Ptolemaeus et Seleucus quoque, cum periculum sibi aeque ac Cassandro imminens viderent, sese iis adjunxere, foedusque iniere contra Antigonum [4]), ut tandem dominationi ejus finem imponerent, regnumque ejus dividerent [5]). Anno 302 bellum exarsit, cui jam sequenti anno finis impositus est pugna apud Ipsum, ubi Antigonus acie caesus est. Filius Demetrius salutem fuga petiit, sese in Grae-

---

[1]) Bellum quod tum gestum est idem est ac id quod a Ps. Plutarcho in decreto in honorem Democharis (Plut. X Orat. p. 851 § 2) *ὁ τετραετὴς πόλεμος* vocatur. cf. Ladek. Ueb. die Echtheit zw. Urk. bei pseud. plut. Wiener Studien 1891. p. 112 sqq. et v. Wilamowitz. Ant. v. K. p. 190 ann. 10.

[2]) Plut. Demetr. 25. *Ἐν δὲ Ἰσθμῷ κοινοῦ συνεδρίου γενομένου, καὶ πολλῶν ἀνθρώπων συνελθόντων, ἡγεμὼν ἀνηγορεύθη τῆς Ἑλλάδος ὡς πρότερον οἱ περὶ Φίλιππον καὶ Ἀλέξανδρον.*

[3]) Diod. 20. 106. *μίαν γινώσκει διάλυσιν, ἐὰν ὁ Κάσσανδρος ἐπιτρέπῃ τὰ καθ' ἑαυτόν.*

[4]) Droys. 2. 2. 194 sqq.

[5]) Polyb. 5. 67. 6.

ciam convertit, regnum Antigoni inter reliquos principes divisum est [1]).

Quaenam regiones Cassandro attributae sint, pro certo dici non potest, profecto Thessalia ei data est, de Epiro nihil patet. In Asia autem Cilicia Pleistarcho, Cassandri fratri datur [2]), v. Wilamowitz, Antigonos v. Karystos pag. 198, hanc provinciam Macedoniae adnumerat, cum eodem tempore suspicetur, Lyciam et Cariam eidem Pleistarcho addictas esse.

Neque magis traditum est quomodo Lysimachus et Seleucus diviserint regnum Antigoni; satis sit hic memorare Lysimachum partem occidentalem et septentrionalem Asiae Minoris adeptum esse. Ptolemaeus in divisione imperii a ceteris prorsus neglectus est. Seleucus contra hac divisione ita crevit ut Ptolemaeus et Lysimachus sese contra eum conjungerent, qui a sua parte Demetrii amicitiam quaesivit. Demetrius autem a Seleuco se in Ptolemaeum convertit, cum consentaneum sit suspicari eum etiam cum Cassandro pacem fecisse [3]); eique supra reliquas possessiones concessam esse Ciliciam, iis autem conditionibus, ut non amplius fines suos amplificaret. Pyrrhus Epirota, frater Deidamiae uxoris Demetrii obses ad Ptolemaeum missus est.

Interim Athenis res mutatae sunt. Auctoritas fautorum et adulatorum Demetrii, Stratoclis cum sodalibus suis, imminuta est; moderati viri, Olympiodorus, Philippides et Demochares rebus praeficiuntur. Videtur Cassander profectus esse ut subjiceret Athenienses, videtur obsedisse Elateam [4]), cum Olympiodorus civibus urbis auxilium ferret, qui etiam opem rogavit et adeptus est ab Aetolis [5]), quae

---

1) Polyb. 5. 67. et 28. 20 (17). 6. sqq.

2) Plut. Demetr. 31.

3) Niese 1. 355. Plut. Demetr. 32. *Καὶ Φίλαν τὴν γυναῖκα πρὸς Κάσσανδρον ἔπεμψε τὸν ἀδελφὸν, ἀπολυσομένην τὰς Πλειστάρχου κατηγορίας.*

4) Paus. 10. 18. 7.

5) Paus. 1. 26. 3. *Καὶ τὸ συμμαχικὸν τοῦτο ἐγένετο Ἀθηναίοις αἴτιον μάλιστα διαφυγεῖν τὸν Κασσάνδρου πόλεμον.*

res causa fuit cur Cassander regressus sit. Haec facta sunt anno fere 300.

In Epiro quoque Cassandri auctoritas pulso Pyrrho denuo restituta est, in expeditione autem contra Corcyram repulsam tulit.

Haec omnia facta sunt inter annos 301 et 298, Cassander autem sequenti anno mortuus est.

CAPUT V.

De Macedonia post Cassandri regnum.

§ 1. Macedonia inter annos 297—281.

Filius Cassandri Philippus patri successit, sed etiam hic jam quatuor mensibus post morbo absumitur. De rebus a fratribus ejus Antipatro et Alexandro post mortem ejus gestis, de dissensionibus eorum, de certamine regni, cui mater quoque Thessalonice sese inmiscuit, adeo ut ab Antipatro interfecta sit, fontes nostri res minime claras et perspicuas attulerunt. Justinus enim 16. 1. loquitur de divisione regni statim post Philippi mortem, Pausanias 9. 7. 3. de nimio studio matris erga filium natu minorem, Plutarchus autem (Demetrius 36 et Pyrrhus 6) de dissensionibus inter fratres, cum Eusebius 1. p. 232 scripserit de Antipatro: *τὴν μητέρα .... συμπράττουσαν Ἀλεξάνδρῳ περὶ τῆς βασιλείας.* Hic postremus locus profecto aliquid dicit, sed eodem tempore aperte Justino contradicit. Justinus autem errat. Pausanias enim loco laudato de Antipatro loquitur tamquam rege post Philippi mortem *Ἀντίπατρος δ' ὁ μετ' ἐκεῖνον*, neque nominat Alexandrum. Haec eadem res confirmatur a Plutarcho qui in decreto in honorem Democharis Atheniensis dato, hunc anno 296 (Droys 2. 2. 250) auxilium petere

facit ab Antipatro cum neque magis de altero fratre mentio fiat [1]).

Quae cum ita sint, constat Antipatrum initio regni et verosimiliter sequenti quoque anno solum regem fuisse, neque statim post Philippi mortem regnum divisum esse, Justini locum igitur pro nihilo habendum esse.

Superest Eusebii locus, secundum quem regia mater una cum Alexandro regnum paternum huic vindicabat, et videndum est quidnam de hae re fuerit. Sed primum statuendum erit de tempore quo hae dissensiones ortae sint et si fieri potest, de morte matris. Suspicari ausim dissensiones exortas non esse ante annum 295, et eodem anno jam statim Thessalonicen occisam esse. Alexander enim auxilium petiit a Pyrrho et Demetrio, quod ante hunc annum nullo modo fieri potuit. Nam Pyrrhus anno 296 ex Aegypto in Epirum rediit [2]), sequenti anno interfecto Neoptolemo solus rex factus est, et tum Alexandro auxilio venit. Perinde Demetrius cum exercitu ad Spartam stans a° 295 auxilio vocatus est. Eodem loco autem ubi Plutarchus hoc narrat [3]), Eusebii locus confirmatur. Pyrrhus enim cum exercitu adest; Tymphaeam, Paravaeam, e regionibus Macedoniae adjectis Ambraciam, Acarnaniam, Amphilochiam tamquam praemium auxilii quod laturus esset, postulat, easque regiones jam statim occupat. Tum Plutarchus pergit: *τὰ δὲ λοιπὰ κτώμενος ἐκείνῳ περιέκοπτε τὸν Ἀντίπατρον* quod significat: „ea quae posthac occupa„vit, Antipa tri regno detraxit, ut Alexandro daret." Omnium primum igitur ex hoc loco apparet Antipatri regnum, si non ad ipsas provincias adjectas in Occidente pertinuerit, saltem iis conterminum fuisse. Fingamus autem illas provincias Alexandri fuisse, quomodo tandem suspicari licet, eum tam stultum fuisse ut totum territorium suum Pyrrho concederet,

---

1) Plut. Orat. p. 851 *α'* § 6. *πεμφθέντων στρατιωτῶν ἐπ' αὐτὸν ὑπὸ Ἀντιπάτρου* et B' 4. *καὶ πρὸς Ἀντίπατρον πρεσβεύσαντι καὶ λαβόντι εἴκοσι τάλαντα ἀργυρίου.*

2) Droys. 2. 2. 256 ann.

3) Plut. Pyrrh. 6.

pro quo nihil adeptus sit, nisi Epirotae promissum auxilii ad fratrem regno pellendum, ad usurpandum solium regium? Quod ego quidem nullo modo conjicere ausim. Quae cum ita sint facere non possum quin suspicer sic convenisse inter Pyrrhum et Alexandrum: Alexander Pyrrho cessurus erat provincias occidentales Macedoniae adjectas, quarum pretio Epirota ei opem laturus erat, ut fratrem regno deturbaret.

Quonam autem successu Alexander consilia sua exsecutus sit, notum est. Antipater regno suo deturbatus est, salutem petiit apud Lysimachum, qui id a Pyrrho impetravit ut pacem inter fratres restitueret [1]). Hi autem deinde aliquantisper conjunctim Macedoniae praesunt, sive communi consilio res administrantes, ut tradit Diodorus [2]), sive singuli suis regionibus praefecti [3]), cum sine dubio Pyrrhus regiones sibi ab Alexandro concessas regno suo adjunxerit. Etiam traditum est quomodo Alexander jam brevi post interfectus sit a Demetrio; is Antipatrum quoque Macedonia pepulit, hic autem a socero exceptus posthac vitam egit in Thracia in aula regia Lysimachi. Ipse Demetrius rex Macedoniae factus est. Et cum hic jam antea sibi subjecisset majorem Peleponnesi partem, Athenae Megara et Euboea auctoritati ejus obnoxia essent, imperium ejus haud ita multum discrepabat a Cassandri imperio. Sed ab altera parte dominatio ejus in Asia prorsus interiit, Cycladae insulae sensim paullatimque Ptolemaei auspiciis synedrio junctae sunt.

Jam initio regni, Demetrius condidit urbem Demetriadem in paeninsula Magnesia, in quam urbem contraxit oppida Neleam et Pagasas et Ormenium, Rhizuntem, Sepiadem, Olizonem Boeben et Iolcum, quae inde ab hoc tempore

---

1) Justin. 16. 1. 7. Plut. Pyrrh. 6.

2) Diod. 21. 7. *καὶ Ἀντίπατρον τὸν μητραλοίαν ἐδολοφόνησεν, οὐ βουλόμενος σύνεδρον ἔχειν τῇ βασιλείᾳ.*

3) Justin. 16. 1. 19 „tradita ei altera parte Macedoniae, quae Antipatro „genero ejus obvenerat."

tamquam vici Demetriadis habenda sunt [1]). Et non solum illa oppida, etiam regiones Septentrionem versus Pelium et Ossa, vallis Tempe Demetriadi adjuncta sunt [2]). Facile hac urbe Thessaliam cohibere potuit, cum eodem tempore paeninsula Magnesia mari illis in regionibus dominaretur, cum simul navium statio Demetriade constituta esset [3]).

Bella continua a Demetrio gesta sunt, dum regnum ejus in Europa stetit, èt cum Boeotis quae jam initio regni subjecti iterum atque iterum insurgunt, èt cum Pyrrho et Aetolis. Vel expeditionem fecit in Leucadem et Corcyram insulas a°. 290 fere [4]), jam initio regni conatus est aggredi Lysimachum.

Sed bellum quod exarsit anno 289 inter Aetolos et Demetrium causa interitus ejus fuit. Aetoli a rege acie victi quidem sunt, sed ab altera parte praetor ejus in Epirum contra Pyrrhum, Aetolorum socium, profectus, repulsam tulit et clade affectus est. Haec res admodum imminuit auctoritatem regis quae jam antehac in eo erat ut collaberetur, praesertim propter continua bella ipsi Macedoniae magna incommoda, nullam gloriam afferentia. Insuper luxus aulae regiae, superbia regis, difficilis aditus tot causae odiorum in eum fuerunt. Itaque cum in morbum incidisset, Pyrrhus conatus est invadere Macedoniam, nec tamen Demetrio par erat. Repulsam tulit Epirota, reverti et pacem facere cum Demetrio coactus est, qui autem nunc ei publice concessisse videtur provincias occidentales ab eo jam inde ab anno 294 occupatas. Praeparationes autem immensae expeditionis quam contra Asiam facere in animo habebat Poliorceta, classes quae in Piraeo, Corinthi, Chalcide et Pellae ornabantur, immanis exercitus qui cogendus

---

1) Strabo 436. Plut. Dem. 53.

2) Strabo l.l. *ἐπεκράτει δὲ καὶ τῶν Τεμπῶν καὶ τῶν ὀρῶν ἀμφοῖν, ὥσπερ εἴρηται, τοῦ τε Πηλίου καὶ τῆς Ὄσσης* cf. Paus. 7. 7. 3 i. f. Diod. fr. 643 *Δημητριάδος πόλεως Μακεδόνων.*

3) Strabo l.l.

4) cf. v. Wilamow. p. 241 sqq. Niese. 1. 371 ann. 3.

erat in Macedonia et Graecia, haec omnia causae fuerunt interitus ejus. Nam necessitate coacti reliqui reges Ptolemaeus, Lysimachus et Seleucus sese cum Pyrrho contra eum conjunxerunt.

Pyrrhus et Lysimachus a duabus partibus Macedoniam invaserunt, Demetrii exercitus ad Pyrrhum transiit, ipse rex fuga salutem petere coactus, in Graeciam ad filium Antigonum, qui illic rebus praefuit, se contulit. Ubi primum eo advenit, Thebani ab eo in libertatem restituti sunt, cum Athenienses semet ipsos liberarent; praesidia Demetrii autem in Piraeo, Munychiae et Eleusine manserunt. Pace facta inter Demetrium et Pyrrhum hic rex Macedoniae factus est (a°. 287), sed simul concessit Demetrio Thessaliam et eas urbes Graeciae quas adhuc possideret, Lysimacho autem dedit regiones inter Strymonem et Nestum flumina. Tamen Demetrius jam mox sese in Asiam conferre coactus est, ubi anno 285 captivus factus a Seleuco in custodia habitus est, usque ad annum 282, cum diem supremum obiit. Titulos suos jam antea filio suo Antigono concesserat [1]).

Postquam Demetrius sese in Asiam contulit, Pyrrhus urbes Thessalicas Lysimacho auctore ad defectionem incitavit, sola Demetrias sese contra Epirotam sustinuit [2]).

Sed Pyrrhus Macedonibus neque magis acceptus erat quam Demetrius, adeo ut jam sequenti anno 286, cum Lysimachus regnum ejus aggrederetur, facile pulsus sit [3]). Lysimachus autem Macedoniam imperio suo adjunxit. Eodem modo quo Macedonia, Thessalia quoque excepta Demetriade regno Lysimachi adjuncta est; is insuper cum Aetolis amicitia conjunctus erat, cujus rei documentum est urbs Lysimachia in parte Occidentali Aetoliae condita, quae nomen a rege accepit [4]).

---

1) Plut. Dem. 51.
2) Plut. Pyrrh. 12.
3) Plut. Pyrrh. 12. ἀποβαλὼν Μακεδονίαν ᾧ τρόπῳ παρέλαβεν Paus. 1. 10. 2.
4) Polyb. 5. 7. 7. Liv. 36. 11. 7. Strabo 460. Droysen 3. 2. 327.

Praeter regiones ad ipsam Macedoniam pertinentes, etiam Paeonia a Lysimacho ad imperium suum tracta est. Rex Audoleon semper amicissimus fuit Lysimacho. Sed post hujus mortem, quae cadit post annum 285 ut patet ex C. I. A. II 312 (Dittenb. 195), filius ejus Ariston regno pulsus a Lysimacho in patriam reductus quidem est, sed hic eodem tempore totum regnum finibus suis adjecit, ipse Ariston coactus fuit sese conferre ad Dardanos [1]).

Pugna apud Corypedium anni 281 finem imperio et vitae Lysimachi fecit. Seleucus victor in Europam transiit ut illic rerum potiretur, sed hic jam paullo post, eodem anno a Ptolemaeo Cerauno interfectus est, qui ipse ab exercitu suo agnitus est ut rex Thraciae et Macedoniae.

---

§ 2. De Gallorum invasionibus.

Sed tametsi Ceraunus ab exercitu agnoscebatur, tamen haec res nullo modo impedimento fuit quominus ab omniparte pericula regno ejus imminerent. Jam statim enim coactus erat Seleucidae Antiocho relinquere partem Asiaticam imperii Lysimachi; in Europa autem haud minus validi adversarii contra eum exstiterunt, nempe Pyrrhus Epirota, Antigonus Gonatas, neque minus Antiochus sibi vindicare pergebat partem imperii paterni in Europa sitam.

Epirus, temporibus Philippi, Alexandri et diadochorum quodammodo cum Macedonia cohaerens, tandem a Pyrrho in plenam libertatem restituta, amplificata erat, cum Ambracia urbs sedes regni facta esset [2]). Simul Tymphaea et Paravaea, provinciae quae aliquamdiu ad Macedoniam pertinuerunt, regno adjunctae erant.

---

1) Polyaen. 4. 12. 13. Diod. 21. 13 (Tzetz. Hist. 6. 53).

2) Plut. Pyrrh. 6. Strabo 325. *μάλιστα δ' ἐκόσμησεν αὐτὴν Πύρρος βασιλείῳ χρησάμενος τῷ τόπῳ.*

In Illyria quoque matrimonio suo cum filia Bardylidis regis Pyrrhus auctoritate valuit, Corcyram aut ipse jam his temporibus cepit [1]) aut per absentiam ejus in Italia a filio ejus Ptolemaeo regno adjuncta est [2]). Quicquid hac de re est, Epirus a Pyrrho firmata et amplificata est, regnum ejus validissimum Cerauno perpetuo periculo fuit.

Antigonus fuit adversarius haud minus contemnendus, Magnesiam et Euboeam urbe Demetriade cohibuit, societas Boeotica cum eo foedere juncta erat, Athenae et Piraeus libertate quidem fruebantur, tamen Antigono favere videbantur [3]).

In Peloponneso occupata habuit Epidaurum et Troezenem [4]), Corinthus et Megara perinde ei oboedibant [5]), Argos et Sicyon a partibus ejus steterunt, urbes Achaicae praesidiis Antigoni munitae erant [6]). Elis quoque ei obnoxia erat, Megalopolis et aliae urbes Arcadiae Antigoni sociis adnumerabantur, vel Sparta illis temporibus bello ab eo lacessita, inde ab anno 285/84 victa et quodammodo ei obnoxia fuisse videtur [7]). Et in Septentrione Pyrrhus, alioqui ultro Antigoni adversarius, nunc cum eo pacem egit, vel foedere ei adjunctus erat [8]), Aetoli quoque auctis finibus societate cum Antigono juncti erant [9]).

---

1) Justin. 25. 4. 8.

2) Paus. 1. 12. 1. Niese 2. 6. ann. 5.

3) v. Wilamow. p. 259: „Athens Stellung zu den Aitolern ist in dieser „Zeit fortdauerend gut, und schon das musste sie auch zu Antigonos „erträglich stellen."

4) Frontin 3 6. 7. Polyaen. 2. 29. 1.

5) Diod. 20. 103. Plut. Dem. 51 et 53.

6) Polyb. 2. 41. 9.

7) Euseb. Chron. ap. v. Wilamow. p. 258: „Antigonus Gonatas Lacedaemonios tenuit" cf. Justin. 24. 1. 3.

8) Paus. 1. 10. 2.

9) Polyb. 2. 45. 1; 2. 43. 9; 9. 34. 6. *ἐπεὶ τίνες οἱ τὸν Ἀντίγονόν εἰσι τὸν Δημητρίου παρακαλέσαντες ἐπὶ διαιρέσει τοῦ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνους.* Droys. 2. 2. 332. v. Wilamow. 259.

Neque minus Antiochus Cerauni competitor fuit. Tamen hic rex Macedoniae et Thraciae factus est, Antigonus, qui mari praepollens, classem paratam habuit, statim eum agressus est, profligatur autem a Cerauno et pellitur; quae victoria autem Antiochum ad pacem cum Cerauno traxit[1]). Hac victoria, insuper quaerendo amicitiam regis Ptolemaei Philadelphi qui anno 285 patri successit, Ceraunus in regno suo firmatus est[2]).

Pyrrhus interim expeditionem suam in Italiam parabat, neque reliqui principes vehementer dolebant, talem aemulum ad tempus ablegari. Laeti et benevoli eum adjuvabant, Ceraunus militibus, Antigonus navibus, Antiochus (et hoc quidem documentum est eum nondum negligere res in Europa gestas) pecuniis. Et interim Areus, Spartanorum rex bellum gessit contra Aetolos Antigoni socios, profecto Ptolemaei Philadelphi instigatione[3]), ut etiam per socios Antigonum debilitaret, Cerauno autem opem ferret. Areus autem nihil hoc bello profecit, infecta re domum abire coactus est.

Nihilominus regnum Cerauni perbreve tempus stetit, vere enim anni 280 Galli in tria agmina divisi, inter ceteras regiones etiam Macedoniam invaserunt. Ceraunus iis obviam factus, profligatus et acie caesus est, Macedonia deinde a barbaris vastata est. Late populati sunt, ipsum regnum Macedonicum anarchiae obnoxium fuit, nemo ex regni competitoribus tantum valuit ut patriam defenderet, donec tandem Sosthenes fortissimus vir, humili loco natus, rebus praefectus, barbaros in omnes partes dispersos cohibuit.

Sequenti anno (279) Galli iterum sedes suas reliquerunt, nunc autem per Macedoniam ulterius progressi, Thessaliam vastantes ad Thermopylas pervenerunt, deinde in ipsam

---

1) Justin. 24. 1. Memnon 13. 3. Droysen 2. 2. 332.
2) Justin. 17. 2. 9.
3) Droys. 2. 2. 334.

Graeciam ad Delphos usque penetraverunt, unde autumno tempore anni 279 reverterunt[1]).

Investigare lubet quidnam factum sit a Graecis, ut hanc calamitatem averterent, cum manifesto Macedoniae vires non suppeditarent, ut barbaros repellerent. Omnium primum attendendum est ad statum Graeciae anno 280, num singulae gentes tam debilitatae fuerint quam vulgo putant[2]). Equidem non crediderim.

Aetoli ante omnes alios populationibus barbarorum vexati, temporibus invasioni praecedentibus demum crescere coeperunt, fines suos usque ad sinum Maliacum amplificaverunt, eodemque tempore Areum Spartanorum regem reppulerunt.

Constat reliquas quidem civitates Graeciae inde ab Alexandri morte diuturnis et continuis bellis vexatas esse, paucis annis ante saevo Poliorcetae imperio, praeparationibus magnae in Asiam expeditionis oppressas esse, tamen haud negligendum est omnes fere gentes hoc regimine aeque afflictas esse, ipsam expeditionem autem non susceptam esse. Praeterea ipsum genus dominationis Macedonicae in universo non impedimento fuit, quominus singulae civitates efflorescerent, cum insuper satis notum sit, urbes a regibus expugnatas vulgo clementer tractatas esse. Athenae nobis de his omnibus exemplo sunt, non solum Athenae ut effloruerunt sub Demetrio Phalereo, ut semper benigne et clementer a Poliorceta tractatae sunt, sed etiam Athenae anni 280 hujus rei exemplum sunt, urbes Graeciae tunc temporis non tam debilitatas fuisse, quam vulgo putant.

Quod ad rem militarem attinet, ipsi cives non amplius stipendia fecerunt quidem, ephebi non amplius disciplina militari instituebantur, mercennariis militibus Athenienses

---

1) cf. v. Gelder de Gallis in Graecia et Asia p. 69, cui assentitur Niese 2. 16 ann. 4.

2) ibid. p. 31.

his temporibus utebantur, sed hoc per se non est signum imbecillitatis. Satis enim pecuniae praesto fuit, qua sibi omnia pararent quae ad bellum usui essent. Quod apparuit anno 287 cum pars praesidii a Demetrio in Museo positi, pecunia corrupta ad Athenienses transiit, quae res vires reliquorum ita fregit, ut hi quoque coacti essent a rege deficere, civium partibus favere. v. Wilamowitz p. 205 de hac re dixit: „Obwol man sehr vorsichtig sein musste, und „wenig von Vorbereitungen zu spüren ist, so müssen doch „bedeutendere Geldmittel und ein ziemlich durchdachter „Plan vorgelegen haben, als im Sommer 287 die Nachricht „von dem Sturz des Demetrius nach Athen kam, und ein „sofortiges Aufflammen der Empörung zur Folge hatte." Et iidem illi milites Athenis manserunt, institutus est exercitus mercennariorum militum, qui usque ad annum 281 a civitate alitus est, et ubi occasio dabatur operam suam praestitit [1]). Horum militum auxilio sine dubio Eleusis rursus urbi adjuncta est, praesidia Antigoni e Piraeo et Munychia pulsa sunt. Praeterea consentaneum est suspicari etiam per omnia illa tempora ceteros reges perpetuo Athenienses omni genere rerum adjuvisse, non tam ductos amore Athenarum, quam odio Antigonidum [2]).

Quae cum ita sint, cum omne genus auxilii Atheniensibus praesto esset, nullo modo assentiri possum v° d° van Gelder cum p. 38 dicat „nulla Graeca civitas in diadocho„rum continuis bellis aeque tentata fuerat, nulla tunc tem„poris tam exhausta. Accedit quod maritimis Atticae par„tibus truncatae erant Athenae." Hoc postremum quidem ipsis factis refutatur, Piraeus Atheniensium erat, et Gallica invasione classem ad Thermopylas miserunt.

Eodem modo Spartani praecedenti anno non solum ostenderunt se satis valere ad bellum suscipiendum, sed simul

---

1) v. Wilamow. p. 205.

2) C. I. A. IV. 2 p. 84. n°. 309 *b*. (Dittenb. 193) C. I. A. II. 311. (Dittenb. 194) C. I. A. II. 312. (Dittenb. 195).

apparuit reliquos Graecos eos haud secus ac antea timere [1]).

Achaicae urbes quatuor eodem anno sese in unum conjunxerunt, origo fiunt societatis Achaicae. Sic per totam Graeciam idem studium libertatis cernimus, ubique documenta adsunt regiones illas, quocumque modo sese habent, nullo modo „semimortuas" nominari posse, ut dicit v. d. van Gelder p. 36 ad Spartam spectans. Potius judicium v[i] d[i] Holm sequamur, qui 4. 203 probare conatur, idque jure, mea quidem sententia, Athenienses tertii seculi haud minus fortes et validos fuisse quam quarti, cum dicat: „Athen hat von 323 bis etwa 300 Krisen durchgemacht, „welche nach Allem was vorgefallen war, wohl begreiflich „sind, Krisen, in denen bald nach der einen, bald nach „der andern Seite hin das Maass überschritten wurde, nach „der Beendigung dieser Krisen hat die Stadt sich wieder „ihrer grossen Vergangenheit würdig benommen."

Et quod attinet ad pestilentiam quae iis temporibus Graeciam afflixerit, sunt hodie qui de hac quoque re dubitent [2]).

Quidquid de his omnibus est, socii Graeci ad Thermopylas convenerunt ad Gallos avertendos. Decem milia gravis armaturae et 500 equites Boeotorum, quibus praefuerunt quatuor Boeotarchae; Phocenses autem 500 equites, tria milia peditum miserunt. Locrorum apud Atalantem insulam praesto fuerunt septingenti milites, Megarensium quadringenti cum certo numero equitum. Aetolorum maximus numerus adfuit, nec tamen constat quot profecti sint. Duces eorum fuerunt Polyarchus Polyphron et Lacrates. Atheniensium autem dux fuit Callippus, quem secuti sunt 500 equites et mille peditum, cum universa classe, Callippus

---

1) Justin. 24. 1. 7. „Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium „multae civitates negaverunt, existimantes eos dominationem non liber„tatem Graeciae quaerere."

2) Paus. 7. 7. 1. Niese 2. 16 ann. 5.

summus dux fuit [1]). Etiam Antigonus rex, et Antiochus quingenos milites miserunt, exiguum numerum quidem, sed cum inter se bellarent, consentaneum est suspicari eos plures mittere non potuisse [2]). Simul autem haec res monet Antiochum etiam nunc ad res in Europa spectasse.

Variae sunt opiniones virorum doctorum de his numeris a Pausania traditis, de auxilio lato et non lato a diversis gentibus.

Niese v. c. scribit 2. 17 ann. 2. „Dieser Bericht ist zum „guten Theil mythisch, und hat nicht den Werth, den ihm „unsere Historiker, auch van Gelder beilegen." Ipse van Gelder excusare conatur parvum numerum militum Atheniensium, absentiam Spartanorum et Achaeorum [3]); v. Wilamowitz p. 223 dicit „der Bericht über die Keltenschlacht „an den Thermopylen gibt einen Einblick in die Macht„verhältnisse der Zeit." Haec postrema sententia sine dubio falsa est.

Quod ad v^m d^m Niese attinet: Pausanias 10. 19. 12 ipse describit quantum periculum Graeciae imminuerit: „Videbant „certamen quod instabat non fore de libertate ut olim „contra Persas, sed res superiore invasione a Gallis in „Macedonia gestae, iis in memoriam venerunt, scelera „nuperrime in Thessalia patrata iis nunciata erant. Aut perire „oportuit aut vincere." Itaque non mirum fuit civitates Septentrionis quam maximis viribus egressas esse, numeri a Pausania traditi mihi non tam immodici videntur, si ponamus Aetolos et Boeotos *πανδήμει* egressos esse. Quae autem dixit Niese de Atheniensibus non recte sese habent. Mea quidem sententia non recte intellexit inscriptionem C. I. A. II. 323. (Dittenberger 205), cum perhibeat Athenienses

---

1) Paus. 10. 20. 5. *καὶ ἡγεμονίαν οὗτοι κατ' ἀξίωμα εἶχον τὸ ἀρχαῖον* (Profecto documentum de auctoritate Atheniensium apud reliquos Graecos).

2) Memnon. c. 18. Droys. 3. 1. 190.

3) v. Gelder p. 36. 37. 38. ann. 4.

egressos esse nulla alia causa quam ad Delphos defendendum, cum ipse locus sic audiat: *ὑπόμνημα τῆ(ς μ)άχης τῆς γενομένης πρὸς τοὺς βαρβάρους τοὺς ἐπισ(τ)ρατεύσαντας ἐπί τε τοὺς Ἕλληνας καὶ τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, ἐφ' οὓς καὶ ὁ δῆμος ἐξεπεμπε(ν) τούς τε ἐπιλέκτους καὶ τοὺς ἱππεῖς συναγωνιουμέν(ους) ὑπὲρ τῆς κοινῆς σωτηρίας.* Minime meo judicio hanc rem ad solos Delphos trahere licet

Contra opinionem v[1] d[1] van Gelder de debilitatis civitatibus, imprimis Athenis, etiam hoc addere velim: e Pausania apparet urbem etiam tum tamquam principalem Graeciae consideratam esse, et si ulla gens temporibus Gallorum invasionis oppressa sit, tum certe fuisse Boeotos, qui nihilominus magnam vim copiarum miserunt.

Alia igitur causa quaerenda est cur dumtaxat civitates proximae periculo pro viribus suis copias miserint ad hostes repellendos.

Est res quae per totam Graecorum historiam iterum atque iterum sese nobis offert, nempe negligentia et invidia, si vis odium civitatium Graecarum inter se. Jam inde a bellis Persicis negligentiam illam invenimus, neque temporibus Macedonicis evanuit.

Pausanias enim, cum loquitur de pugna apud Chaeroneam, queritur non minos eos servos factos esse qui Graecorum res neglexerint, quam eos qui vel cum Macedonibus fecerint [1]). Quantam operam Demosthenes semper sibi dedit, ut explicaret Atheniensibus, etiam sibi perniciosum esse, si gentes finitimae, quamvis aemulae essent, a Macedonibus libertate privarentur, sua autem maxime interesse ut universis Graecis contra communem hostem opitularentur. Boeoti bello Lamico Macedoniae faverunt, quod metuerent ne Thebae in integrum restituerentur, si Graeci victores evaderent, alii socii quoque prosperum eventum rerum expectaverunt

---

[1]) Paus. 1. 25. 3. *τὸ γὰρ ἀτύχημα τὸ ἐν Χαιρωνείᾳ ἅπασι τοῖς Ἕλλησι ἦρξε κακοῦ, καὶ οὐχ ἥκιστα δούλους ἐποίησε τοὺς ὑπεριδόντας καὶ ὅσοι μετὰ Μακεδόνων ἐτάχθησαν.*

antequam auxilia mitterent. Et quidnam aliud nunc fit? Boeoti Phocenses, Aetoli et gentes Septentrionis proximae periculo fortasse πανδήμει ad Thermopylas egrediuntur, Athenienses jam remotiores a periculo delectos milites et equites, etiam classem mittunt, in Peloponneso autem nihil motum est. Immo etiam nunc vel in summo totius Graeciae periculo, inveterata illa invidia in hac paeninsula manifesta fit. Messenii et Arcades auxilia mittere ausi non sunt, quod metuerent ne Spartani per exercitus absentiam auctoritatem suam restituerent, revera non documentum imbecillitatis Spartanorum [1]). Messenii conati sunt inducias facere cum Spartanis, ut reliquis Graecis auxilio venirent, sed Spartani rem negarunt [2]). Quam ob rem Pausanias rem acu tetigit, cum diceret Gallorum invasionem neglectam esse ab omnibus Peloponnesiis, quod putarent sibi nihil ab iis metuendum esse, si Isthmum muro interclusissent, cum classis barbaris non praesto esset. Etiam v. d. van Gelder rectissime rem perspectum habuit, cum scripserit p. 37 de Achaeis: „Non „perspiciebant quanti esset Septentrionalem Graeciam Graeco „nomini non amitti." Sed ego addere velim; nihil sua intererat, obcoecatae ut fuerunt gentes Graeciae „provincialismo" suo, ut barbara locutione utar. Nullo modo igitur quaestio esse potuit hoc bello de foedere universae Graeciae contra barbaros, solae gentes finitimae eos ad Thermopylas repellere conatae sunt.

Galli ad Delphos repulsi sunt, etiam e Macedonia recedere a Sosthene coacti sunt. Sequenti anno 278 post Sosthenis mortem, universa Macedonia rursus anarchiae obnoxia fit, diversi regni competitores rerum potiri conantur.

Eodem anno Paeonia a Dropione tamquam libera civitas constituta est [3]), Cassandrea urbs, jam antea ab Eurydice libertate donata, sed iterum Macedoniae regi obnoxia facta,

---

1) Paus. 8. 6. 3.
2) Paus. 4. 28. 3.
3) Dittenb. 208.

nunc Apollodoro duce praesidium Macedonicum pepulit, ipse autem specie libertatis constituendae rebus praefectus, sese odiosum tyrannum ostendit, cives suos omnibus modis vexavit [1]).

Per totum tumultum Gallicum nihil audivimus de potentissimis regni competitoribus, de Antiocho et Antigono, nisi quod quingenos milites ad Thermopylas miserunt. Reliquimus eos post pacem factam inter Ceraunum et Antiochum, post cladem maritimam Antigoni [2]), Ceraunus tunc in Macedonia firmatus est, amicitiam fratris Ptolemaei quaesivit (a⁰. 281) [3]).

Nec tamen Antiochus destitit sese miscere rebus Europae, patet enim e diversis rebus, eum etiam post annum 281 rebus illic interfuisse, vel haud spernendae auctoritatis fuisse.

Primum quod pecunias misit ad Pyrrhum, cum is expeditionem in Italiam pararet a⁰. 281 „quod opibus quam „militibus instructior erat" ut dicit Justinus 17. 2. 13, exercitus ejus enim in Asia erant; tum quod auxilia misit in Graeciam contra Gallos a⁰. 279, tandem quod eodem anno Lachares, qui anno 296 tyrannus Athenis fuit, nunc autem Cassandreae vitam egit, id studuisse videtur ut urbem Antiocho traderet, quod numquam fieri potuit ni Antiochus cum copiis vel cum classe in vicinitate versatus esset [4]).

Postremo loco alii testes quoque non auctoritatis sed dominationis Antiochi in Europa nobis praesto sunt. Diversae series enim nummorum Antiochi aere signatorum inveniuntur [5]).

---

1) Polyaen. 6. 7. Aelian. V. H. 14. 41 cf. Polyb. 7. 7. 2.

2) cf. p. 162. Memnon. 14. *Ἀντίγονος δὲ ὁ Δημητρίου ὁ ἡττηθεὶς τῷ ναυτικῷ.*

3) Justin. 24. 1. 8. Memnon. 15. Justin. 17. 2. 9. „Fratris quoque regis „Aegypti concordiam per epistolas deprecatur."

4) Polyaen. 6. 7. 2. *καὶ γὰρ Ἀντίοχον τὸν βασιλέα ποιεῖσθαι φίλον καὶ σύμμαχον αὐτῷ τὴν πολιτείαν ἐπιτρέποντα.*

5) Babelon. Les rois de Syrie XLVIII.

Sine dubio hi nummi in Europa signati sunt, iique non solum in Thracia, sed etiam in Macedonia, Thessalia, et si signis fidem habere licet, vel in ipsa Aetolia, idque non alio tempore nisi intra annos 281—278 [1]). Res autem illis temporibus gestae obscurae et intricatae sunt. Tamen videndum est quidnam de hac re esse potuerit.

Ceraunus post pacem anni 281 cum Ptolemaeo et Antiocho in pace degebat, Antigoni vires clade maritima fractae erant. Dum hic sese reficit a damno accepto, Antiochus occupatus est rebus Asiae, ipse pugnat in Coelesyria contra Ptolemaeum, Patroclus praetor ejus eodem tempore profligatus est a Nicomede Bithyniae rege [2]), ponamus anno 280. Nicomedes statim post victoriam societatem iniit cum Heraclea [3]), contra quam urbem illo ipso tempore pugnabat Zipoites frater Nicomedis, partem regni paterni sibi vindicans [4]). Hic igitur rebus ipsis socius Antiochi factus est. Sed eodem tempore, anno igitur 280 bellum inter Antiochum et Antigonum infit, in illud bellum, quod diu duravit, uterque magnas copias paravit [5]).

Et eodem anno Spartanorum rex Areus auctore Ptolemaeo Philadelpho Aetolos aggreditur, perque Aetolos Antigonum eorum socium, superiore anno clade affectum, nunc bello contra Antiochum occupatum. Nunc demum perspicuum fit quomodo Ptolemaeus Philadelphus fratri Cerauno opitulatus sit. Unum ex competitoribus nempe Antiochum ipse bello

---

1) Percy Gardner Numism. Chron. 18. New. Ser. p. 92. sqq. „We can scarcely be wrong in supposing that the series of copper pieces were issued by Antiochus I at the time that he was aspiring to the Macedonian throne."

2) Memnon. 16.

3) Mennon. ibid.

4) Memnon. 17.

5) Memnon. 18 *κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Ἀντιόχῳ τῷ Σελεύκου καὶ Ἀντιγόνῳ τῷ Δημητρίου, μεγάλων ἑκατέρωθεν στρατευμάτων ἀντιπαραττομένων, κινεῖται ὁ πόλεμος καὶ χρονὸν συχνὸν κατέτριψε. συνεμάχει δὲ τῷ μὲν ὁ τῆς Βιθυνίας βασιλεὺς, Νικομήδης, Ἀντιόχῳ δὲ πόλλοι ἕτεροι.*

persecutus est, alterum Antigonum cum Antiocho jam belligerantem, vel in eo ut bellum gereret, per Spartanos aggreditur. Tria bella igitur, praeter bellum quod in Bithynia gerebatur. Et interim Macedonia a Gallis vastatur, ipse Ceraunus proelio interficitur. Luce clarius est hoc anno 280 Antiochum in Europa nihil proficere potuisse.

Sequitur secundus annus belli 279. Bellum et mari et terra geritur, Antiochus Nicomedem aggreditur [1]), classis Heracleotarum tredecim navium auxilio missa nihil efficere potuit, cum verosimiliter impediretur a navibus Antiochi quae ad Hellespontum stationem habuerunt [2]). Sed eodem tempore bellum flagrasse videtur in oris Maritimis Macedoniae et Thraciae. In mediterranea parte Sostheni Galli maximae curae erant, quidni Antiochus his temporibus partem Macedoniae inferioris et oras maritimas Thraciae occupaverit, praesertim cum appareat ex rebus Cassandreae eum satis hoc anno illic valuisse? Tunc illae urbes fuerint illi πολλοὶ ἕτεροι σύμμαχοι Memnonis c. 18, qui cum res Thraciae conscripserit eos tamquam Graecos non nominatim enumeraverit. Illi quingeni milites ad Thermopylas ab utroque competitore missi, satis ostendunt eos ipsos aliis in locis magnis rebus occupatos fuisse. Nullo modo autem jamnunc Antiochus sese rebus Graeciae inmiscere potuit, cum Galli his demum temporibus omnia illic vastarent. Sed haud scio an rejectis barbaris autumno anni 279 cum exercitu per Thessaliam in Aetoliam pervenerit ubi omnia nimirum vehementer perturbata erant, vi coacti Aetoli societatem cum eo inierint. Nullo alio tempore si umquam inita est, haec societas constitui potuit nisi nunc, hieme anni 279/278 [3]). Etiam hoc argumentum est, quod nummi inventi aere facti sunt, post atroces Gallorum populationes necessario argentum et aurum rara fuerunt. Sed nihil nisi

---

1) Memnon. c. 18.
2) Droys. 2. 2. 338.
3) cf. van Gelder p. 69.

per conjecturam statuere ausim; extant illi nummi, satis pulchra exemplaria praesto sunt in collectione regia Hagae Comitis, sed ubi rerum scriptores ab omni parte deficiunt, nulli alii testes nobis viam ad veritatem monstrare possunt. Hoc tantum concludere velim, bellum illud inter Antiochum et Antigonum multo latius flagrasse quam vulgo suspicantur, sed quibus locis gestum sit nullo modo dirimi potest. Jam sequenti anno res dirempta est, verosimiliter navali pugna, Antigonus victor evasit, Antiochus ex Europa pulsus est, Antigonus jam ab eo tamquam rex Macedoniae agnoscitur [1]).

Nec tamen hac pace facta Antigonus Gonatas jam rex Macedoniae habendus est. Nam denuo in Thracia certandum erat contra Gallos qui Chersonnesum vastabant, profligantur sane barbari apud Lysimachiam, sed adhuc in ipsa Macedonia varii competitores de summis rebus certabant. Contra eos Antigonus sese vertit post pugnam apud Lysimachiam, ut illos subjiceret. Facile etiam his locis princeps factus est, reliqui principes eum tamquam regem agnoverunt. (a°. 277).

Supererat Apollodorus Cassandreae. Hic enim semper pergebat saevire in infelices cives suos, crudelitate et saevitia sese sustinuit. Nunc autem bello lacessitus est ab Antigono. [2]) Urbs obsidetur, Spartani Apollodoro succurrunt Cleonymo duce, fortasse instigante Ptolemaeo Philadelpho. Sed tandem urbs capitur, Antigonus inde ab hoc tempore rex totius Macedoniae habendus est (a°. 276).

---

1) Justin. 25. 1. 1. v. Gelder p. 80 et 81. Niese 2. 22 ann. 4. jam aestate anni 279 huic bello finem imponit ea re ductus quod èt Antiochus èt Antigonus copias miserunt ad Thermopylas, quae ibi adsunt autumno tempore ejusdem anni. Sed mea quidem sententia hoc non est argumentum cur bellum finitum sit. Aeque eorum intererat ut Graecia iis amica esset, eodem modo per mercennarios milites bellum gerebant, quidni uterque miserit exiguum numerum ad Graecis opitulandum in ultimo periculo?

2) Trog. Prol. 25.

§ 3. Macedonia usque ad 221. Societas ab Antigono Dosonte cum Graecis inita.

Omnium primum investigandum est, quantum fieri potest, quo usque regnum Macedonicum geographico sensu sese porrexerit sub regno Antigoni Gonatae et successorum ejus, tum etiam aliquid de auctoritate ejus in Graecia dicenda erit. Perpauca tamen imprimis de ipso agro Macedonico sub Antigono Gonata aetatem tulerunt, adeo ut major pars non nisi conjectura constitui possit. Hac in re una res nobis auxilio venit, nempe quod, quantum apparet neque sub Demetrio (239—230) neque sub Antigono Dosonte (230—221) quicquam mutatum est in finibus Macedoniae. Mutationes factae a Philippo quinto ortae sunt in eo statu rerum, qui aeque pertineat ad initia regni ipsius Philippi aeque ad regnum ut constitutum est ab Antigono Gonata.

Quod dixi ex sequentibus apparet. Constat enim Demetrium, cum jam statim post mortem Antigoni ab omnibus partibus bellis vexaretur, tamen regnum suum repulsis hostibus integrum servasse [1]). Unde sequitur initio regni Antigoni Dosontis statum Macedoniae eundem fuisse ac sub Antigono Gonata. Tum autem explorandum est num quae mutationes factae sint inter annos 230—221.

Eodem modo quo Demetrius, Antigonus Doson initio regni afflictus est invasionibus Dardanorum, insurrectionibus sociorum, omnes tamen in ordinem coegit [2]).

Et reliquum tempus hujus regni occupatum est rebus Graeciae, nihil traditum est de turbis a parte barbarorum nisi sub finem vitae ejus anno 221, cum Illyrii rursus

---

1) Droys. 3. 2. 35. Euseb. Arm. I. p. 237. „cui (Antigono) filius „Demetrius succedit, qui omnia omnino (quae erant) patris in monarchi„cam potestatem denuo redegit."

2) Justin. 28. 3. 14. „Ut defectionem sociorum vindicaverit, ut Dardanos „Thessalosque exultantes morte Demetrii regis compescuerit."

Macedoniam invaserunt. Repulsi tamen sunt, ipse Antigonus brevi post moritur, Philippus V ei succedit, nulla re patet fines Macedonicos mutatos esse.

His constitutis denuo quaestio ponatur, quomodo Antigonus Gonatas fines suos firmaverit. A parte Thraciae Galli, postquam Graecia et Macedonia pulsi sunt, regnum Tyle condiderunt. Quaestio tantum esse potest utrum his in locis Strymon flumen, an Nestus terminus agri Macedonici habendus sit. Si spectamus primo loco ad prudentem Antigoni indolem, qui cum necessario omnes vires suas intenderet ad restituendum in integrum regnum suum tot calamitatibus vexatum, adeo ut suspicandum sit eum potius concessisse agros quos finitimi aliquo jure sibi vindicare possent, quam ut propter eos in bellum involveretur, si secundo loco attendimus ad Antigoneam urbem, conditam a parte Thraciae ad fontes Echedori fluminis, tamquam propugnaculum contra barbaros, cujus nomen sine dubio Antigonum ut conditorem indicat [1]), tum suspicandum est ab hac parte Strymonem flumen terminum Macedoniae factum esse [2]), usque ad Sintorum agros, qui sub Philippo et Alexandro et eorum successoribus ad Macedoniam pertinuerunt, hoc tempore autem denuo liberi sunt. Quod etiam confirmatur a viro clarissimo Six qui nummos describit regis cujusdam Adaei, his temporibus Scotussae sedes habentis [3]).

Quod autem ad partem septentrionalem attinet, hodie satis constat Paeoniae regnum post tumultum Gallicum in integrum restitutum esse. Nam praeterquam quod in inscriptione his temporibus attribuenda (Dittenb. 208) Dropion quidam *βασιλεὺς Παιόνων καὶ κτίστης* appellatur [4]),

---

1) Demitsas. 2. 498. *ἡ μὲν Ἀντιγόνεια κτισθεῖσα ὑπὸ Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ ἔκειτο περὶ τὴν πηγὴν τοῦ Ἐχεδώρου ποταμοῦ πρὸς νότον τῶν Αἰστραίων καὶ Μαίδων, καὶ πρὸς ἄρκτον τοῦ Ἀβρὲτ Ἰσσὰρ, καὶ ἀπετέλει τὸ βορρειοδυτικώτατον μεθόριον τῆς Κρηστονίας.*

2) Strabo 331 fr. 33 et 35. Droys. 3. 1. 87.

3) Six. Annuaire Numismatique 1883. p. 11.

4) cf. Paus. 10. 13. 1.

quod in eadem inscriptione sermo fit *τοῦ κοινοῦ τῶν Παιόνων*, nummi quoque ejusdem regis ad nos pervenerunt, qui anno fere 278 adscribendi sunt [1]). V. cl. Six suspicatur Dropionem illum regnum Paeoniae statim post Gallicam invasionem in integrum restituisse, idque sustinuisse contra competitores regni Macedonici, perinde ac Apollodorus aliquantisper Cassandreae sese sustinuit. Insuper e serie nummorum (Catal. Brit. Mus. Macedon. p. 15 n°. 59—65) apparet Paeoniam aliquamdiu libertatem suam servasse. Alii nummi enim aliis litteris ornati indicant Dropioni etiam successorem fuisse cujus nomen non integrum quidem ad nos pervenit, sed incipit per *παρ*. Hi nummi autem inde ab anno 272 usque ad 250 signati sunt [2]), quod indicant signa et monogrammata. Si igitur nummis illis fidem habere licet Paeonia non ante annum 250 interiit, cum major pars a Dardanis capta est; haud scio an Antigonus occupaverit partem meridionalem, cum a Septentrione Axii saltuum Antigonea urbs inveniatur, propugnaculi instar. Sed non ante 217 universa Paeonia Macedoniae adjuncta est. Tum enim Bylazora oppidum in Paeoniae parte septentrionali situm a Philippo V captum est, qui tunc finem fecit invasionibus barbarorum Septentrionis [3]).

Regnum Illyricum temporibus Antigoni validissimum fuit, tamen, quantum apparet, semper cum Macedonia pacem agebat. Latrocinia enim anno 230 fere sub Agrone rege, post mortem ejus sub Teuta regina facta, nonnumquam Macedoniae instigatione suscepta [4]), semper ad Epirum et Graeciam spectabant, numquam ipsam Macedoniam attin-

---

1) Six. Annuaire Numismatique 1883. p. 6.

2) Six l.l. p. 11.

3) Polyb. 5. 97. 1. *Φίλιππος ὁ βασιλεὺς κατελάβετο Βυλάζωρα, μεγίστην οὖσαν πόλιν τῆς Παιονίας . . . ὥστε διὰ τῆς πράξεως ταύτης σχεδὸν ἀπολελύσθαι τοῦ φόβου τοῦ κατὰ Δαρδανίους. οὐ γὰρ ἔτι ῥᾴδιον ἦν αὐτοῖς ἐμβαλεῖν εἰς Μακεδονίαν κρατοῦντος Φιλίππου τῶν εἰσόδων.*

4) Polyb. 2. 2. 5.

gebant, nisi sub finem regni Antigoni Dosontis [1]), qui tamen facile barbaros finitimos cohibuit.

Iterum oritur quaestio quinam his locis termini Macedonici fuerint, et iterum bella a Philippo V gesta paullulum lucis ad hanc obscuram rem allatura sunt.

Imprimis bellum gestum a°. 217 cum Scerdilaida, qui Philippi socius fuit in bello sociorum [2]). Scerdilaidas enim impressione facta in agros Macedonicos, vastaverat Pelagoniae oppidum Pissaeum, Dassaretiae autem ad se traxerat Antipatriam, Chrysondyonem et Gertuntem, agris Macedonicis in his regionibus vastatis. Scerdilaidas igitur ut apparet impressionem fecit in partem septentrionalem Macedoniae; nullo modo enim hoc loco sermo esse potest de Antipatria ad Apsum, sed spectandum est ad oppidum ejusdem nominis in Pyrenaeo monte (cf. pag. 60). Quae oppida tamen Philippus rursus in suam potestatem redegit, insuper expugnavit urbes Dassaretiae Creonium et Gertuntem; in regionibus ad lacum Lychnitidem Enchelanas, Ceracem, Boeos; in agris Caloecinorum Bantiam et Orgyssum (Orgessum) Pisantinorum. Ex ordine oppidorum quo a Polybio commemorantur apparet Philippum expeditionem fecisse inde a Pelagonia, praeter lacum Lychnitidem Meridiem versus, usque ad Caloecinorum agros, ubi Bantias oppidum situm est a meridie Pelii [3]). Ipsum Pelium autem hac in expeditione non memoratur, profecto quod jam in Macedonum manibus fuit, alioqui certo jam nunc captum et a Polybio commemoratum esset. Ecquid aliud hac expeditione Philippus sibi propositum habuit, quam ut fines suos ad occasum solis firmaret, regnumque suum augeret addendo regiones ad lacum Lychnitidem et in Dassaretiae parte meridionali sitas? Nam Antipatriam simul cum Chrysondyonte et Gertunte Philippus ἀνεκτήσατο, haec igitur

---

1) Polyb. 2. 70. 1.
2) Polyb. 5. 108; 4. 29. 2; 5. 95. 1.
3) Demitsas 2. 638.

jam antea ad Macedoniam pertinuerunt; oppida contra ad lacum Lychnitidem sita κατελάβετο, ea igitur antehac Macedoniae non adnumerabantur. Unde sequitur, quandoquidem Antipatria, Chrysondyon et Gertus sita sunt inter Pelagoniam et lacum Lychnitidem, ut ex ordine oppidorum a Polybio tradito apparet, idque in monte qui a sequioribus Pyrenaeus vocatur, cum regiones lacui Lychnitidi confines nunc demum Macedoniae adjungantur, cum de Pelio nihil tradatur, hoc oppidum igitur verosimiliter jam Macedonicum sit; terminum Occidentalem Macedoniae ante annum 217 et, ut supra demonstratum est, inde ab Antigono Gonata fuisse Pyrenaeum montem.

Jam supra (cap. II. p. 61.) demonstrare conati sumus Antipatrum condenda Antipatria ad Apsum flumen, regnum Macedonicum usque ad ea loca auxisse et firmasse; etiam regnum Antigoni Gonatae usque ad hoc oppidum pertinuisse videtur, ut apparet ex iis quae sequuntur. Polybius 5. 108 ultimo loco captum esse a Philippo tradit Pisantinorum oppidum Orgyssum (Orgessum Becker).

Situs autem hujus oppidi apparet ex Livio 31. 27, qui in descriptione expeditionis L. Apustii legati Romani anni 199 haec nobis tradit: Apustius e castris Romanis munitis inter Apolloniam et Epidamnum ad Apsum flumen profectus, „extrema Macedoniae populatus, Corrhago et Ger„runio et Orgesso castellis primo impetu captis ad Anti„patream venit." Quid apparet ex his? Primo haec castella sita fuisse ab Occidente Antipatriae, in extremis finibus Macedoniae. Deinde similitudo nominis Orgessi et apud Livium et apud Polybium, nos eo ducit ut suspicemur utrumque scriptorem ad idem oppidum spectasse, Philippumque a°. 217 Bantia capta sese in Occidentem vertisse, regnumque suum Orgesso occupato ultra Antipatriam amplificasse, Antipatriam autem eandem ob causam ac Pelium non memoratam esse, quod jam in Macedoniae potestate erat. Cum igitur Orgessus ab Occidente Antipatriae situs a°. 217 a Philippo captus sit, concludere licet usque ad

annum 217 Antipatriam ultimum propugnaculum Macedoniae Occidentem versus fuisse [1]).

Aliud oppidum haud minoris momenti in his regionibus est Antigonea ad Aoum flumen, ut nomen indicat ab Antigono Gonata condita [2]), tamquam propugnaculum contra Epirotas, ea regione qua vallis Aoi fluminis aditum in Macedoniam dat. Droysen l. l. suspicatur eas regiones Antigono concessas esse ab Alexandro Epirota, cum, postquam a Demetrio Antigoni fratre regno suo pulsus erat, postea hortantibus Epirotis in bona paterna restitutus est a°. 263 [3]). Jam tum regiones ad Aoum flumen Macedoniae adjuncta sint necesse est, Antigonus enim per totam vitam cum Olympiade uxore Alexandri, post mortem ejus summis rebus praefecta [4]), in pace degebat.

Demetrius successor ejus matrimonio inito cum Phthia filia Olympiadis, involutus est in bellum cum Dardanis, neque quicquam commodi sibi parare potuit in Epiro, cum regia familia illic exstingueretur (239—235). Patet autem anno 231 Antigoneam cum Illyrii Epirum invaderent in Macedonum potestate fuisse [5]); verosimiliter igitur a°. 263 cum Alexander in regnum paternum restitueretur, haec regio Macedoniae tradita, et Antigonea condita est, cumque Antigonea regiones Epiri septentrionales Macedonicae factae sunt. De Tymphaea nihil traditum est, neque magis de terminis a parte Thessaliae, qui tamen sine dubio iidem manserunt.

Quod attinet ad auctoritatem Antigoni in Graecia, nam de regno vel de imperio non amplius loqui licet, haec satis

---

1) De situ Antipatriae cf. Leake Travels in Northern Greece 1. p. 361 et Demitsas 2. 724.

2) Droys. 3. 1. 248.

3) Leake 1. 70 et 384 sqq. Demitsas 2. 805.

4) Droys. 3. 1. 325.

5) Polyb. 2. 5. 6. Droys. 3. 2. 45.

magna fuit, initio quidem regni ejus. Thessalia enim ei obnoxia mansit, provinciae Macedoniae instar fuit, Antigonus Demetriadem numquam amisit. Perinde hic valuit in Euboea insula et Corinthi. Sed in reliquis regionibus Graeciae auctoritatem suam per tyrannos sustinuit.

Sedatis rebus post Pyrrhi invasionem in Peloponnesum, Argis fautores Macedoniae sub tyranno Aristippo summae rei praefuerunt. Phlius quoque tyranno tradita est [1]), reliquae quoque urbes Actes inde ab hoc tempore cum Macedonia fecerunt [2]). Huic numero adjungenda est Sicyon [3]), diversae urbes Arcadiae, inter quas primo loco nominanda est Megalopolis, ubi Aristodemus tyrannus cui cognomen χρηστός fuit, rebus praeerat [4]). Elis anno 271 per aliquot menses sceleribus Aristotimi tyranni vexata est [5]), neque minus Acarnania Antigoni auctoritati subjecta erat, Boeoti quoque et fortasse pars Phocensium sese Macedoniae applicaverunt.

A Macedonia liberae manserunt Attica, Sparta, Messene, Achaja, pars Arcadiae et Aetolia. Praesidiis autem Antigonus occupata habuit Acrocorinthum, Chalcidem et Demetriadem.

Praecipuum vitium ab Antigono commissum in confirmanda dominatione sua in Graecia, fuit quod per tyrannos auctoritatem suam sustentare conatus est, regimen cum ceteris gentibus, tum imprimis Graecis odiosum. Praecipuus hostis autem Antigoni fuit societas Achaica, quae anno 281 conjunctione quatuor urbium instituta, sensim paulatimque perrexit augere vires suas. Bello Chremonideo Antigoni auctoritas crevit quidem, nec tamen vires ejus societati Achaicae pares erant. Anno 251 tyrannus Nicocles ab Arato Sicyone pulsus est, ipsa urbs societati Achaicae

---

1) Polyb. 2. 44. 6.
2) Polyb. l.l. Niese 2. 226. Holm 4. 139.
3) Plut. Arat. 6.
4) Paus. 8. 27. 11 et 8. 36. 5.
5) Justin. 26. 1. 4. Paus. 5. 5. 1; 6. 14. 11.

adjuncta est; et interim Arati auctoritas ita crevit ut jam 245/244 praetor societatis creatus sit. Inde ab hoc tempore centrum fuit societatis, omnes vires intendere perrexit ut eam augeret et amplificaret Macedoniae et Antigoni detrimento. Sic anno 243 pulso praesidio Macedonico Corinthus societati adjuncta est, multae aliae urbes deinceps hujus urbis exemplum secutae sunt. Neque alio modo post Antigoni mortem (a°. 239) Demetrio regnante, Aratus consilia sua exsequi perrexit, donec tandem bello Cleomenico necessitate coactus est omnia deserere quae adhuc perfecit, seseque Macedoniae et Antigono Dosonti applicare. Et hoc modo universam societatem suam cumque ea majorem partem Peloponnesi rursus Macedoniae tradidit, omnes regiones ad societatem Achaicam pertinentes simul cum aliis a Dosonte nomine sociorum sibi obnoxiae factae sunt. Praeter Achaeos sese huic societati applicaverunt Epirotae, Phocenses, Macedones, Boeoti cum Locris Opuntiis [1]), Acarnanes et Thessali [2]) quibus Droysen 3. 2. 161 adjungit Argos cum Mantinea, Tegeam, Epidaurum, cum Acrocorinthus et Orchomenos praesidiis Macedonicis occuparentur.

Societas autem quam inierunt Graeci cum Antigono fuit ἔγγραπτος συμμαχία [3]); ipse rex autem summae rei praefectus est [4]). Synedrium Corinthi habebatur [5]), tamen Polybius 5. 28. 3 commemorat synedrium Patrae habitum, cum 5. 103. 4 sermo sit de synedrio legatorum sociorum Naupacti.

Nisus autem loco Polybiano 4. 22. 2 non crediderim perpetuum fuisse synedrium [6]), rex enim convocat synedrium et concilio praeest [7]). Deliberant synedri de bello [8]) quod

1) Niese 2. 335.
2) Polyb. 4. 9. 4.
3) Polyb. 4. 82. 5.
4) Polyb. 2. 54. 4 καταστασθεὶς ἡγεμὼν ἁπάντων τῶν συμμάχων cf. Polyb. 4. 9. 3; 4. 13. 6.
5) Polyb. l.l.
6) cf. ibid.
7) Ibid.
8) Polyb. 4. 25. 1.

etiam decernunt [1]), et de pace [2]) de ceteris rebus ad communem societatem pertinentibus [3]).

Bello decreto a synedrio nuncii mittuntur ad socios qui decretum confirment necesse est [4]).

Regi fuit jus evocandi et cogendi exercitus, ornandae classis sociorum [5]), eodem tempore indicabat locum ubi conventuri essent milites eorumque numerum constituit [6]). Socii obligati erant sibi invicem opem ferre [7]), tamen suspicari ausim eam civitatem quae auxilio indigeret, obligatam fuisse ad alendum exercitum, etiam sociorum [8]). Novi socii non admittuntur nisi communi consensu reliquorum sociorum et regis [9]), neque crediderim vel regi jus fuisse adjungendi socios, ut apparere videtur e Polybio 4. 29. 7 ubi de Scerdilaida a Philippo admittendo sermo est, profecto conditiones ab Illyrio factae a synedrio comprobentur necesse est.

Singulis autem civitatibus licuit sese cum aliis conjungere quae societatis non participes essent, ut v. c. Achaei sese conjunxerunt cum Lacedaemoniis et Messeniis qui tunc temporis nondum sese synedrio applicaverant [10]).

Lacedaemonii enim quibus statim postquam apud Sellasiam victi erant Brachylles praetor praepositus erat, postea etiam societati injuncti erant [11]); haud scio an haec fuerit

---

1) Polyb. 4. 25. 5.

2) Polyb. 5. 29. 4; 5. 102. 8.

3) Polyb. 4. 24. 5. *τὰ δὲ πρὸς τὴν κοινὴν ἀνήκοντα συμμαχίαν, ταῦτ' ἔφη μόνα δεῖν κοινῆς ἐπιστροφῆς καὶ διορθώσεως τυγχάνειν ὑπὸ πάντων.*

4) Polyb. 4. 26. 2; 4. 30. 1 et 2; 4. 26. 7; 4. 30. 6. *Ἠπειρῶται δ' ἐκ παραθέσεως διακούσαντες τῶν πρέσβεων τὸ μὲν δόγμα παραπλησίως ἐπεκύρωσαν.*

5) Polyb. 4. 67. 8; 5. 3. 3. cf. Liv. 32. 21. 5.

6) Polyb. 5. 3. 3; et 5. 17. 9.

7) Liv. 32. 21. 13.

8) Plut. Arat. 45. *τρέφειν τε καὶ μισθοδοτεῖν ἠναγκάζοντο τοὺς Μακεδόνας.*

9) Polyb. 4. 9. 3. *περὶ μὲν τῆς συμμαχίας οἱ προεστῶτες τῶν Ἀχαιῶν ἀπέλεγον οὐ φάσκοντες δυνατὸν εἶναι χωρὶς Φιλίππου καὶ τῶν συμμάχων οὐδένα προσλαβεῖν.*

10) Polyb. 4. 19. 1; 4. 9. 6; 4. 15. 4.

11) Polyb. 4. 24. 4 et 5.

causa cur Brachylles tam breve tempus rebus Lacedaemone praefuerit. Messenii etiam postea a synedrio admissi sunt [1]).

Si inter socios dissentiebatur, jurisdictio penes synedrium fuit [2]); quotannis socii inter se jusjurandum dabant et exigebant [3]); sed legibus cautum erat ne quod adversus societatem esset aut referre magistratibus alicujus urbis, aut decernere concilio jus esset [4]).

Ipsa societas autonomia sociorum nitebatur [5]); vel potius instituta ut vigebant in diversis civitatibus non mutatae sunt [6]). Sic Thessali suis legibus uti perrexerunt [7]) eodem modo quo antea sub praefectis regiis haud scio an etiam nunc tetrarchae nominati sint; eandem ob causam Thessali a Polybio 4. 9. 4 inter socios numerantur quidem, tamen alio loco 4. 15. 1 ubi de legatis ad reliquos socios mittendis sermo est, Thessali omittuntur, nimirum quoniam a praefectis regiis gubernabantur [8]). Etiam patet eos eodem modo quo jam sub Philippo et Alexandro stipendia facere sub ducibus Macedonicis, non enim enumerantur inter socios Antigoni in pugna apud Sellasiam, profecto quod non a suis praetoribus ducebantur [9]). Vel in urbibus vi armisque captis, ut Spartae, prisca instituta civibus reddita sunt [10]), neque alio modo rex sese gessit Tegeae. Nihilo-

---

1) Polyb. 4. 34. 1; 4. 15. 2; 4. 16. 1.

2) Polyb. 4. 24. 5.

3) Polyb. 4. 24. 8. Liv. 32. 5. 4. „itaque et in Achajam legatos misit, „simul qui jusjurandum—ita enim pepigerant, quotannis juraturos in verba „Philippi—exigerent."

4) Liv. 32. 22. 3.

5) Polyb. 4. 24. 4.

6) cf. Polyb. 5. 28. 6. de jurisdictione Thebanorum.

7) Polyb. 4. 76. 2.

8) ibid.

9) cf. Droysen 3. 2. 146 ann. 2. qui rem alio modo explicat.

10) Polyb. 2. 70. 1. Polyb. 4. 24, 7; 4. 34. 9; 5. 9. 8.

minus apparet regem sese miscuisse rebus internis diversarum civitatium, cujus rei mihi testis est quod statuas tyrannorum Argis denuo erexit, cum dejiceret eorum qui Acrocorinthum ceperunt, Arati excepta [1]). Neque minus negligendi sunt honores quibus rex affectus sit, sacra et pompae, ludi in honorem ejus instituti etiam haec indicant eum in rebus intestinis quoque satis auctoritate valuisse [2]).

Profecto in rebus externis ad communem societatem pertinentibus rex utpote praeses synedrii magna potestate praeditus erat, adeo ut res externae magnam partem a solo rege administrarentur, nec tamen sine sociorum consensu.

Plutarchus Arat. 45 enim scribit de Achaeis: *ἐψηφίσαντο δὲ ἄλλῳ μὴ γράφειν βασιλεῖ μηδὲ πρεσβεύειν πρὸς ἄλλον ἄκοντος Ἀντιγόνου.* Tamen ut supra demonstratum est synedrio quoque aliquot jura concessa erant.

Itaque dicere licet autonomiam singulis sociis concessam esse, quatenus haec non pugnaret cum administratione summae totius.

Hoc synedrio autem Antigonus Doson perfecit id quod decessores ejus, imprimis Antigonus Gonatas per totam vitam perficere conati erant; regnum Graeco-Macedonicum ut sub Philippo et Alexandro steterat, ab eo restitutum est, et sane confirmatum esset ni immatura mors eum absumpsisset. Et Graeci, qui jam inde a Lamico bello pro libertate pugnaverunt, tota historia enim inde a morte Alexandri tantum non una continua series est bellorum propter libertatem susceptorum, cum in eo essent ut Arato duce hoc tandem assequerentur quod tamdiu assequi frustra conati essent, ab illo ipso Arato hosti proditi sunt, injunguntur societati in qua omnes socii aequo jure steterunt quidem, sed cui praefectus erat rex, cui, quamvis hoc

---

1) Plut. Arat. 45.
2) ibid.

curaret ne qua civitas foederata ab externis hostibus laederetur, tamen eodem tempore potestas praesto esset qua cohiberet diversas partes regni, ut ipse tamquam unicus princeps Graeciae et Macedoniae, res ad suum nutum et voluntatem administraret. Et libertas illa tam desiderata, postea numquam ab omni parte in integrum restituta est.

FINIS.

I

II

III

IV

V

THESES.

THESES.

I.

Thucyd. IV. 30. 4. legitur *προκαλούμενοι εἰ βούλοιντο ἄνευ κινδύνου τοὺς ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρας σφίσι τά τε ὅπλα καὶ σφᾶς αὐτοὺς κελεύειν παραδοῦναι.* legendum est *εἰ βούλονται.*

II,

Aristoph. Ran. 719. 20. lectio codd. Cantabr. et Harl. *ταὐτὸν ἔς τε τῶν πολιτῶν τοὺς κακούς τε κἀγαθοὺς ἔς τε τ'αρχαῖον νόμισμα καὶ τὸ καινὸν χρυσίον* recipienda est.

III.

Aristoph. Nubes: Versus choricantici hoc ordine transponendi sunt: 288—290 legantur ante 285—287; 311—313 ante 308—310.

IV.

Facere non possum quin dissentiam a viro clarissimo van Leeuwen, ubi versus Arist. Nub. 412—420 Socrati tribuit (Mnem. 26. 208).

UofM

V.

Injuria nonnulli viri docti perhibent Lucianum confudisse Christianos cum Cynicis philosophis.

VI.

Lucian. Timon 14. ἀγνοούντων δὲ ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος etc. legendum est κατάρατός τις οἰκέτης.

VII.

Nummi Antigoni regis Macedoniae (Imhoof—Blumer Monnaies Grecques. Tab D. n°. 9 et 10) Antigono Gonatae adscribendi sunt.

VIII.

Tacit. Ann. VI. 15. In recentioribus editionibus perperam usu recepta est lectio: „deviis plerumque itineribus *ambiens* „patriam et declinans." Restituenda est codicum lectio „*ambigens*."

IX.

Tacit. Ann. 3. 28. Vulgaris lectio: „*acriora* ex eo vincula" Pichenae lectioni: „*artiora* ex eo vincula" posthabenda est.

X.

Tacit. Ann. 2. 40 legitur: „vine militum servum *suum* „coerceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere „sineret." Praestat „servum *statim* coerceret."

XI.

Cicero pro Murena § 23 Halm edidit: „Et quoniam „mihi videris istam scientiam juris, tamquam filiolam oscula- „ri tuam, non patiar te diutius in tanto errore versari, ut „istud nescio quid, quod tanto opere *dilexisti* praeclarum „aliquid esse arbitrere".

Lectio „*didicisti*" praestat.

XII.

Caesar B. G. IV. 10. „Mosa profluit ex monte Vogeso „qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno „recepta, quae appellatur Vahalis, insulam efficit Batavorum, „*neque longius ab Oceano milibus passuum octoginta in Rhenum* „*influit.*" Sic legendum est: „*neque longius a Rheno milibus* „*passuum octoginta in Oceanum influit.*"

XIII.

Apocleti fuerunt collegium Aetolorum extraordinarium e senatu delectum ab ipsis senatoribus, quod, cum bella gerebantur, pro senatu cum praetore res quotidianas administrabat.